

JOHANNES TARTEYS

Problema correspondens libello Porphyrii
ms. London, Lambeth Palace 393, ff. 184(215)^r-239(270)^v

<Trascrizione di Alessandro D. Conti>

Problema correspondens libello Porphyrii est hoc: **utrum universalia ad aliquem sensum sub numero quinario adaequate sint contenta.**

Data veritate sequitur aliqua esse universalia. Hoc falsum, et sequitur ex problemate. Quare problema falsum.

Ad oppositum et pro veritate problematis est Porphyrius.

Ab intento in isto problemate sic procedam: primo unicum argumentum contra suppositum in problemate et eius principale faciam, et consequenter quinque argumenta principalia correspondenter ad quinque universalia subiungam.

Igitur **contra problema et eius principale arguitur sic**: nulla sunt universalia, ergo etc.

In ista materia sunt **duae opiniones communes**, quarum prima ponit solum terminos vel intentiones esse universalia; secunda ponit <universalia> tam ex parte rei quam ex parte terminorum.

Contra primam arguitur sic: aliqua sunt propositiones convertibiles, sicut et aliqua (*sic corr. ex alia*) nomina; et non propter suas essentias, cum stat quod differant genere vel specie, nec propter secundarium significatum, quia sic omnes termini converterentur; relinquitur ergo quod propter primum significatum. Quod repugnat huic viae. ... **Salto**

{Item, sequitur quod primi impositores imposuerunt istum terminum ‘homo’ ad significandum primarie aliquid quod nec homo nec Deus potest intelligere, quia nihil imposuerunt ipsi quod talis terminus primarie significaret. = **Penbygull 128-31**} Ut patet quod opprobriosum esset illis quod non [non] intellexerunt quid imposuerunt significari proprie a tali termino. Et sic videtur quod nullus potest addiscere qualiter iste terminus primarie vel secundarie significat, quia si non ist dare primum significatum nec est dare secundarium significatum, cum relative dicuntur. Vel detur istorum terminorum primum et secundarium significatum.

{Item, aliquid est primum significatum huius propositionis ‘instans est’, propter quod illa est necessaria; ergo per idem ita erit de qualibet necessaria. = **Penbygull 132-5**} Pro assumpto ponitur quod ipsa sciatur habitualiter a Sorte et actualiter etiam, significando ut termini communiter praetendunt. Tunc notetur scientia qua actualiter scit istam propositionem. Tunc notetur scientia qua actualiter scit istam propositionem. Ista scientia est accidens, et per consequens respectivum; ergo terminatur ad aliquid

quod est eius obiectum; sed non principaliter terminatur ad illam propositionem; ergo principaliter terminatur ad aliud; et non nisi ad hoc significabile, instans esse; ergo etc.

Prima consequentia patet, quia si non terminatur non est respectus. Et minor probatur: illud quod principaliter scitur illa scientia actuali est eius obiectum ultimum; sed ista propositio est huiusmodi; ergo etc.

Minor patet propter multa. Tum primo quia per idem scientia qua actualiter in casu scio hanc propositionem 'phoenix est', sic significando, terminaret ultimate ad illam; et sic posito quod postea me ignorante ceteris paribus desinat phoenix esse, sequitur quod maneret illa scientia, cum eius extrema principalia manerent. **(f.184v)** Vel, si non, quid ultra requiritur detur illud. Tum secundo quia per idem illud quod sciebatur prius illa scientia actuali scitur scientia habituali; sed illa propositio non scitur ultimate per scientiam habituaalem, quod stat illam scientiam manere cum hoc quod illa propositio non sit; relinquatur (**controllare ms.**) ergo quod instans esse, quod est veritas aeterna, est eius ultimum obiectum. Sed idem est instans esse et instans; ergo est dare instans commune pro eius obiecto. Et hic fit communiter argumentum tertium: hominem esse prius naturaliter est quam hominem singularem esse; pro illo ergo priori est homo et non homo singularis; ergo etc. Item, hominem esse sit non requirit[ur] quod istum hominem esse sit, sed requiritur; ergo primum est causa secundi. Et per idem hominem esse est causa cuiuscumque hominis alterius, et non extrinseca, ergo intrinseca; et sic, cum idem sit hominem esse et homo, sequitur hominem esse esse in diversis hominibus.

Hic forte dicitur negando quod hominem esse est homo vel quod Deum esse est Deus. Contra: Deum esse est (Deus *add. et del.*); et non prius Deus est quam est Deum esse vel ipsum esse; ergo conclusio. Minor patet: nam aliter sequitur quod pro aliquo priori Deus est pro quo ipsum esse (*int.*) non est. Et sic prius esset quam haberet esse - quod est impossibile. Nec valet dicere quod ipsum esse non est nisi oratio infinitiva, quia tunc ego possum facere Dei, esse et Deum non esse. Nec valeret argumentum: Deus est, ergo Deum esse est vel ipsum esse est. Et sic, cum necessario aut cognoscit se ipsum esse aut se non esse, sequitur in casu quod ipse cognoscit se non esse; et per consequens ipsum non esse est. Et sic Deus non est. Item, pro quocumque priori est iste homo pro eodem ipsum esse est. Nam aliter sequitur quod pro illo priori iste homo est, et tamen pro illo priori non habet esse, sicut nec pro isto priori ipsum esse est. Et sic prima causa prius cognoscit istum hominem quam cognoscit ipsum esse. Nec valet dicere quod tales orationes non sunt congruae 'Deum esse est'. Hoc enim est contra grammaticam; dicimus enim quod legere est bonum. Ista etiam fictitia non tollit difficultatem, cum idem redit **capiendo** (?) talem propositionem 'esse Dei substantiale est esse hominis substantiale'. Si enim Deus est, tunc esse ipsius quod ipse habet est, et sic, cum nihil est quod non habet esse, sequitur quod esse Dei est. Detur ergo quod est primarium significatum huius 'esse hominis substantiale est'. ... **SALTO**

/(f.185r) Contra secundam opinionem arguitur sic: omne ens Deus distincte cognoscit; sed nullum universale Deus distincte cognoscit; ergo sequitur quod nullum universale est. Minor sic: nam si Deus distincte cognoscit speciem humanam, ergo aliqua cognitio Dei principaliter terminatur ad illam speciem. Sed, cum species sit quidditas cuiuscumque sui individui, sequitur quod quacumque cognitione cognoscitur species humana vel aliquod universale eadem cognitione cognoscitur quodcumque eius individuum. Et tunc quaeratur ultra ...

Item, sequitur quod unum individuum foret duo individua. Nam illius hominis, demonstrando te, sunt duae formae essentiales ultimae, ergo etc. Assumptum sic patet: nam anima intellectiva est huiusmodi forma, et specires humana foret alia forma; ergo etc. Minor sic: forma substantialis est forma qua res est illud quod est; sed secundum speciem iste homo est quid formaliter, eo quod ipsa praedicatur de ipso homine in quid.

Item, ista propositio 'individuum est', sicut et ista 'persona est', est necessaria, ergo est dare suum primarium significatum commune, cum subiectum propositionis est terminus communis. Confirmatur: nam quante commune est omni homini esse hominem, sic commune est illis esse singulare, cum quilibet homo est singularis; ergo sequitur quod sit dare (*int.*) singulare tale commune. Quod est impossibile, eo quod tunc singularitas et univertalitas essent aequalis ambitus.

Item, per idem argumentum esset concedendum quod esset dare personalitatem in communi tribus personis in divinis. Quod est impossibile. Nec valet dicere quod termini 'individuum', 'persona' sunt singulares, nec negaret quamlibet talem propositionem esse congruam 'omne individuum est', 'omnis persona est'; est enim communis modus loquendi apud omnes.

Item, non est dare talia communia: vir, album, et ita de aliis. Et per consequens non est dare quid tales propositiones primarie significant 'vir est', 'album est'. Assumptum sic: iste terminus **/(f.185v)** 'vir' dicit substantiam cum proprietate accidentali. Aut ergo dicit eandem substantiam quam iste terminus 'homo' vel contractiorem. Si eandem, sequitur in resolvendo terminum quod vir in communi est species humana; immo, quod vir in communi esset mulier in communi, conformiter intelligendo terminos - cum per idem iste terminus 'mulier' diceret eandem substantiam speciei humanae cum alia proprietate; et sic, sicut homo sedens est homo disputans, sic vir in communi esset mulier in communi. Si contractiorem, aut ergo illa contractio fit per differentiam essentialem vel per proprietatem accidentalem. Non primo modo, quia sic vir foret species per se. Si secundo modo, tunc * illud accidentale contrahens esset pars substantiae, ut patet. Et * (*...* *mg.*) circumscripta tali proprietate restat iterum quomodo de illa substantia, cum sit circumscripta per casum a proprietate tali, videtur quod sit species per se potissime, cum praedicatur in quid de pluribus differentibus in numero. Et sic dicit essentiam rei non connotando accidens.

Et per idem argumentum videtur quod nullum sit universale per accidens, nisi concedendum sit quod sedens est currens, album est nigrum, etc. Sicut enim iste terminus ‘hoc album’ dicit hanc substantiam superaddendo albedinem, sic videtur quod iste terminus ‘album’ significet essentiam communem superaddendo albedinem. Et sicut hoc album superscripta albedine est per se in praedicamento, sic album simpliciter correspondentem se haberet. Et sic, si nullum esset universale accidentale, sequitur destructio situs, cum - ut communiter deducitur - non haberet subiectum.

Item, si talia universalia sunt, sequitur quod omne universale realiter identificaretur cuicumque eius singulari, sic quod omne universale esset quodcumque eius singulare. Illud videtur falsum, ergo etc.

Hic communiter dicitur quod universale est realiter in suo singulari, sed non est suum singulare; praedicatur tamen de suo singulari cum verbo substantivo de praesenti. Et sic concedunt istam praedicationem ‘iste homo est homo’ secundum quod ly ‘homo’ supponit simpliciter * et personaliter mixtim * (*... * *mg.*) ad istum sensum, quod isti homini inest humanitas.

Contra quam opinionem arguitur sic: conformiter sicut concretum ad concretum ita abstractum ad abstractum; sed cum hoc concretum, homo, praedicatur essentialiter in recto de hoc concreto, iste homo, sequitur quod (*mg.*) conformiter hoc abstractum, humanitas, praedicabitur de hoc abstracto, ista humanitas; ergo <haec> praedicatio simpliciter est concedenda ‘iste homo est humanitas’, secundum quod ly ‘humanitas’ supponit simpliciter.

Item, Sortes est species humana, ergo per idem omne individuum est quodcumque eius universale. Assumptum sic: Sortes est hominem esse, intelligendo praedicatum simpliciter; sed idem est hominem esse et humanitas, simpliciter intelligendo; ergo conclusio. Patet consequentia cum minori, et maior ex hoc quod (*int.*) essentia Sortis est essentia hominis, et idem est (*int.*) Sortem esse et eius essentia et hominem esse et essentia hominis. Ergo conclusio. Non enim est aliter intelligendum quod Sortes est species humana nisi quod Sortem esse est hominem esse.

Item, si tale universale sit unum ens omnino distinctum realiter a singulari, ita quod neutrum est reliquum, sequitur quod non maius certificaretur de quidditate istius hominis cognoscendo quidditatem speciei quam si ipsum **/(f.186r)** universale foret separatum a suis singularibus. Patet consequentia per modum arguendi (*vel:* argumentandi) Aristotelis, I *Posteriorum*, contra ponentes universalia esse separata a suis singularibus. Detur igitur qualiter melius certificor iam de quaestione individui quid est quam tunc certificarer de imaginatione.

Confirmatur: quibuscumque duabus substantiis simpliciter essentialiter differentibus signatis statim me distincte cognoscere unam non sic cognoscendo reliquam; ergo per idem possum generaliter, quidditate utraque existente, cognoscere unam non sic cognoscendo reliquam. Consequens impossibile de universaliali et eius singulari. Ergo etc.

Item, facio istam consequentiam ‘hoc est unum et non aliquo modo multa, ergo est u-num singulare’. Patet consequentia demonstrando speciem, vel detur notitia huius termini ‘singulare’; et assumptum est verum de quocumque universali et consequens falsum de eodem. Nec valet addere quod sufficit quod sit unum in multis et denominat multa sua denominatione concreta, large utendo isto termino ‘denominare’, quia eadem figura denominat istum hominem et quattuor elementa esse sic figurata, sicut eadem quantitas denominat ipsa esse quanta et eadem anima est in multis.

Item, totum universale per hoc distinguitur a toto integrali, quod totum integrale non est sua pars, sed totum universale est sua pars, ut patet per Boethium, libro *Divisionum*.

Relinquendo ergo hanc viam arguitur quod tale universale non identificatur realiter omni eius supposito, quia tunc sequitur quod quidlibet est quidlibet - ut communiter deducitur per solventes. Sequitur etiam quod tantum ens in communi est, sicut tantum species humana est homo, quia nihil non ens in communi est, nihil etiam aliud quam species humana est homo. Ergo etc.

Item, videtur quod tales praedicationes esse concedendas ‘communicabilitas est communicabilis’, quia communicabilitas in communi, et per idem ‘risibilitas est risibilis’. Immo, videtur sequi quod communicabilitas est incommunicabilis et incommunicabilitas communicabilis, sicut singularitas est universalis, et per consequens universalitas. Prima pars patet de communicabilitate unius universalis, et secunda videtur per hoc quod est dare incommunicabiles singulares. Et non sunt singularia sine universalibus. Sequitur <ergo> quod est dare tale commune, incommunicabilitas, quod foret communicabile. Et sic conclusio est (esse ms.) vera. Et ultra, per idem notandum (lectio valde dubia) singularitatem communem omni singularitati.

Item, quaero an ens in communi in se de sua natura sit substantia vel accidens. Si substantia, tunc sequitur quod substantia est accidens, et idem sequitur si illud in se sit accidens. Patet deductio, eo quod una denominatio intrinsece inesset universali et alia singulari. Ergo, iuxta bona principia, sequitur illam conclusionem esse veram, sicut et hanc ‘divisibile est indivisibile’. ... salto /(f.186v)

Propter talia argumenta dicit una opinio quod non est dare huiusmodi universalia quae praedicantur de pluribus, secundum quod prius assumitur; sed est dare aggregata successiva quae vere sunt universalia, ut homo aggregatus ex omnibus hominibus praesentibus, praeteritis et futuris est species humana; et ita de aliis. {Si veda in proposito Wyclif} Et glossant omnes textus pertinentes de istis universalibus ut quod participatione speciei plures homines sunt unus homo, supple: aggregatus. Monstrum enim est corpus unum, ut ponitur de duobus hominibus communicantibus per totum in materia sub diafragma. Et non potest esse quod genus praedicatur de ipso nisi aliqua eius species praedicatur de ipso; ideo per idem est unus homo. Aliter enim dicunt posito quod viderem unam silvam a remotis non esset dare principaliter visum nec intentionem unam terminantem immediate visionem, nisi

talia essent ponenda.

Contra quam opinionem stant argumenta de convenientia specifica et differentia, et alia de communitate terminorum, eo quod ponunt huiusmodi universalialia tantum.

Sed contra illam sic: et quaeritur an homo aggregatus ex omnibus hominibus, qui sit A, sit illi aut aliter est unum resultans ex illis, modo quo quantitas discreta resultat ex unitatibus. Si primo modo, tunc **/(f.187r)** sequitur quod impossibile est hoc aggregatum esse, ut patet ex vi termini. Idem enim est dicere 'hoc aggregatum est' et 'ista sunt', quia illud aggregatum est illa. Nec valet hic ampliare verbum pro evasione. Nam eadem redit difficultas apud sic opinantem terminis restrictis, ut numquam sit possibile illud aggregatum esse pro aliquo instanti. Et isti homines nec coniunctim sumpti nec divisim habent rationem universalitatis; ergo nec illud aggregatum, cum sit illa. Vel detur quam rationem universalitatis habet illud aggregatum.

Item, videtur quod est abusio termini vocare tales homines simul, vel illud aggregatum (quod idem est), 'esse hominem'. Per idem cumulus lapidum foret lapis - quod videtur absurdum. Si enim dicatur quod A non est illi homines, sed unum resultans, modo quo dictum est, adhuc videtur difficultatem redire. Nam isti homines simul sumpti sunt partes illius et ipsum [non] componunt; et non sunt ipsius partes nec ipsum componunt nisi sint; ergo videtur quod isti sunt, demonstrando omnes homines praesentes, praeteritos et futuros.

SALTO

Item, quaeratur an tale universale suscipit praedicationes formales accidentales vel non. Si sic, tunc sequitur quod suscipit omnem praedicationem quam aliquod eius suppositum suscipit; ex quo sequitur quod idem homo comedit et bibit, sedet et currit, moritur et nascitur, et ita de omnibus **/(f.187v)** similibus praedicationibus quae videntur opponi. Unde conclusiones absurdae possunt deduci (reduci ms.). Si non, falsum esset quod ignis crescit per additionem combustibilium aut quod haec unitas melioratur vel peioratur - quae omnia maxime fundant hanc opinionem.

Item, sicut est dare hominem aggregatum ex omnibus praesentibus, praeteritis et futuris, sic esset dare hominem aggregatum ex omnibus hominibus excepto primo; et sic per idem exceptis duobus. Immo, breviter videtur quod sunt tot talia aggregata quot sunt combinationes possibles singularium ad invicem. Ex quo sequitur quod multo plures sint homines aggregati quam singulares. Et sic non esset possibile quod una mulier esset omnis homo, cum si homo est infiniti homines sunt, saltemquo ad nos, in quocumque homine, quia infiniti aggregati.

SALTO

Item, ista homo est corpus animatum, ergo habet animam ipsum actuantem. Patet consequentia, quia aliter non foret corpus animatum. Consequens tamen videtur falsum; nam qua ratione anima Sortis

/(f.188r) ipsum informaret per idem Platonis. Nec potest dici quod anima aggregata, quia illa non potest facere operationem vitalem - ut superius tactum est. Etiam per idem haberet caput et omnia alia membra correspondenter composita ex membris simplicibus. Et sic videtur quod aggregatum ex omnibus animalibus individuis esset chymaera, cum a qualibet tali specie participaret unum membrum.

Item, videtur quod sit processus in infinitum in talibus aggregatis. Quod probatur sic: notemus duos homines singulares et tertium aggregatum ex illis, tunc videtur quod est dare numerum ex illis; isti enim sunt tres res. Et sic ampliando numerum ad quamcumque multitudinem rerum re vel ratione distinctarum sequitur quod hic est ternarius, et sic correspondenter aggregatum. Sit ergo illud aggregatum B et primum A, et sequitur quod A non est B nec e contra; et A est homo; ergo per idem B est homo; et sic esset dare quartum et quintum, et sic in infinitum. Hoc est impossibile; ergo et opinio.

SALTO

/(f.188r) **Secundo principaliter contra problema sic:** ad nullum sensum sumendo istum terminum 'universale' sunt tantum (interl.) quinque universalia. Ergo problema falsum.

SALTO

Item, omnia universalia sunt reducibilia ad hoc commune, universale; ergo per idem, si causa reductionis sunt tantum quinque, sequitur quod tantum unum esset (interl.) universale, cum omnia universalia sunt reducibilia ad unum. Unde videtur ad sensum Porphyrii genus animalis non esse universale, quia sic infinita essent universalia; sed hoc commune, genus, et hoc commune, species, quae sunt analogae, sic sunt universalia.

Item, hoc commune, genus, non est formaliter universale ad mentem Porphyrii; ergo ille numerus ad mentem illius est superfluous. Assumptum sic: si sit sic universale, tunc esset formaliter genus, species, differentia, proprium vel accidens; sed non est differentia formaliter, nec sic de ceteris; ergo relinquatur quod sit genus formaliter. Patet consequentia, quia omne universale ad mentem suam est formaliter aliquod illorum quinque. Tamen videtur falsum, quia illud commune, genus, non praedicatur in quid de individuo aliquo, cum non sit conveniens responsio quaerendo de aliquo individuo quid ipsum sit et respondendo quod /(f.188v) ipsum est genus. Si dicatur quod sufficit quod praedicetur in quid de communibus, contra per descriptionem suam oportet quod praedicetur de pluribus differentibus in specie et in numero; sed non sic est de illis communibus; ergo etc.

SALTO

/(f.189r) Item, videtur quod hoc commune, corpus animatum, non est genus iuxta descriptionem, quia non est natura simplex positiva, cum dicat duo; et tamen ponitur in loco generis in communi descriptione animalis.

Hic forte dicitur quod propter penuriam nominum ponuntur isti duo termini loco unius, quapro-

ter sufficit quod illi termino correspondeat vere aliquid. Contra, ex isto sequitur quod animal commune album foret genus, vir et mulier etc. Et haec definitio, substantia corporea, foret genus, quia illi correspondet suum definitum, quod est vere aliquid. Vel detur causa diversitatis quare unum est magis genus quam reliquum.

Item, videtur sequi iuxta descriptionem positam quod brutum foret genus. Hoc falsum; ergo etc. Patet consequentia et maior; nam sicut haec differentia, rationale, cum hoc genere, animal constituit unam specie, sic differentia sibi opposita constituit aliam, et nullam nisi brutum, ergo etc. Vel detur causa diversitatis.

Si dicitur quod (interl.) rationale tenet se (interl.) positive et irrationale privative, ideo etc., illud non valet, ut videtur secundum Boethium in libro *Divisionum*. Oportet <enim> dare differentias esse compositivas; et non aliter posset illud esse nisi sic caperentur; ergo etc. Confirmatur: nam haec differentia, incorporeum, aequae privative se habet respectu alterius sibi oppositae sicut irrationale respectu rationalis; ergo sequitur quod, cum haec differentia, incorporeum, constituit unum genus sive unam speciem, ut intelligentiam, quod pariformiter erit in alio. Vel detur causa diversitatis.

SALTO

/(f.189v) Tertio principaliter ad idem arguitur sic: nulla est species, ergo etc. Assumptum sic: nulla est descriptio speciei, ergo etc <antecedens sic>: haec non est descriptio speciei ‘omne tale quod praedicatur in quid de pluribus differentibus numero’ nec aliqua alia; ergo etc. Patet consequentia cum minori, vel si (int.) sic detur illa. Et maior patet propter multa. Nam haec descriptio competit puncto et talibus speciebus extra genus - quod non deberet facere, ut videtur, cum intentio principalis in libro Porphyrii fit describere speciem per se in genere. Tamen etiam quia (e.q. int.) descriptio illa competit speciebus per accidens, ut viro, mulieri etc.

SALTO

Item, sic: iste terminus * ‘animal risibile’ significat aggregatum ex animalitate et risibilitate, sic iste terminus * (*...* mg.) ‘animal rationale’ significat primarie aggregatum ex animalitate **/(f.190r)** et rationalitate. Ex quo sequitur quod definitio realis non est vere unum, et per consequens non est species. Quod fuit probandum.

SALTO

/(f.190v) Item, si aliqua esset species specialissima sequitur quod quaelibet species esset minus communicabilis quam suum genus; hoc fasum; ergo etc. Patet consequentia cum maiori, et minor sic: aliqua species specialissima est infinitum (infi^m) communicabilis; ergo nihil est ipsa magis communicabile. Patet consequentia, quia infinita ut sic non se excedunt. Assumptum sic, et assignetur haec species,

punctus, tunc sic: quaecumque haec species realiter communicatur, tante est communicabilis; sed infinite etc.; ergo infinite est communicabilis. Patet ista consequentia et maior, eo quod quante potest communicari tante est communicabilis; ergo etc. Minor sic: universale communicari nihil aliud est quam ipsum inesse alteri formaliter. Sic enim hoc commune, punctus, communicatur cuicumque eius supposito. Ergo quante aliquod universale pluribus suppositis suis inest plus communicatur.

Confirmatur: nam si duobus tantum inesset tamquam in suis suppositis, aliquante communicaretur. Si quattuor, in duplo plus; et sic in infinitum. Ergo etc.

SALTO

/(f.191r) **Quarto principaliter arguitur sic:** nulla est differentia substantialis substantiae; ergo etc. Assumptum patet, quia si talis differentia communis esset, tunc ipsa foret substantia; hoc falsum; ergo etc. Patet consequentia: nam si talis differentia communis est, ipsa est pars quidditativa substantiae; et omne quod est pars substantiae est substantia - ut patet. Ideo liquet quod sequitur formaliter: talis differentia est, ergo est substantia - licet non sit per se in praedicamento substantiae.

Iam probatur quod non est substantia. Primo ex parte differentiarum communium, secundo ex parte differentiarum singularium. Et sic: si rationalitas in communi foret substantia et est universalis, * tunc esset universalis substantia; sed omnis universalis * (*...* mg.) substantia praedicatur in quid de primis substantiis, quae sunt per se in praedicamento; ergo ipsa sic praedicatur. Consequens falsum, cum praedicatur in quale. Patet consequentia cum maiori, et minor patet per Aristotelem in libro *Praedicamentorum*, capitulo de substantia.

Item, ex hoc quod esset substantia, proprie loquendo, substaret accidentibus et praedicaretur in quid de substantiis singularibus, quia de differentiis singularibus; ergo esset per se genus substantiae vel species - quod est falsum, cum tunc non praedicaretur in quale de substantiis primis, ut praedicatur.

Nec valet dicere quod differentia communis non (*int.*) est substantia secunda nec differentia singularis est substantia prima, quia substantia dicitur esse prima vel secunda ex hoc quod est universalis vel particularis, ut patet in libro *Praedicamentorum*, capitulo de substantia.

Forte respondet hic **aliquis** (*responsio Burley notat mg. ms.*) quod differentia est per se in praedicamento substantiae, ut anima hominis est per se in praedicamento substantia et est differentia hominis. Contra: nulla species per se in praedicamento constituit quidditative tamquam differentia alteram speciem eiusdem praedicamenti; sed quaelibet talis differentia constituit taliter aliquam speciem; ergo etc. Consequentia patet cum minori, et maior sic arguitur: sit A, gratia argumenti, species constituens taliter B speciem - si sit possibile. Et quaero an A species sit per se superius ad B speciem tamquam species subalterna vel e contra, aut ut species ex opposito distincta a B. Alterum istorum oportet dare, cum taliter se habent omnes species in aliquo praedicamento. Si primo modo, sequitur quod illa differentia esset genus

ad B, et tunc non praedicatur in quale de B. Si secundo modo, tunc B esset genus ad A. Si tertio modo, tunc sequitur quod A non componit B quidditative, quia secundum Boethium in libro *Topicorum*, **quarto nulla species aliam speciem sibi oppositam ad substantiam innuat.** Ergo, cum iuxta datum A et B opponuntur, sequitur quod nulla componit aliam quidditative.

Confirmatur dupliciter. Nam si A species opponitur B speciei, tunc per aliquam differentiam opponitur isti B, et non secundum ipsum B opponitur ad B, **/(f.191v)** quia in illo conveniunt potius quam differunt. Ergo alia differentia specifica opponitur A ad B; et per consequens ipsum B non est eius differentia. Secundo sic, secundum Porphyrium in combinationibus: duae differentiae possunt concurrere ad componendum speciem quidditative; sed duae species non possunt componere nec (*int.*) quidditative nec qualitative tertiam speciem, licet individua possunt commisceri ad tertium individuum; ergo, cum hoc (*int.*) genus, animal, et hoc commune, anima intellectiva, sunt duae species per se in praedicamento, sequitur quod non componunt tertiam speciem. Patet consequentia cum minori, et maior patet per Porphyrium loco praeallegato, ubi sic <dicit>: ‘differentia componitur cum alia differentia; rationale enim et mortale compositum est in substantia homini<s>. Species vero speciei non componitur ut gignat aliquam aliam speciem’.

Item, paulo ante sic habet: ‘proprium est differentiae in eo quod quale sit praedicari. Speciei vero in eo quod quid est’. Et hoc de eorum per se contentis. Ergo si anima esset differentia, ipsa praedicaretur tam in quid quam in quale de per se contentis sub ipsa - quod videtur falsum.

Item, secundum Aristotelem in libro *Praedicamentorum*, capitulo de substantia, omni substantiae per se in praedicamento convenit non esse in subiecto; et non solum illi - ut ponit - sed etiam differentiae. Ex quo plane sequitur quod differentia non est saltem substantia praedicabilis, cum tunc exceptio foret vana.

SALTO

Item, genus in definitione se habet per modum materiae et differentia ad modum formae; correspondenter ad compositionem qualitativam individuorum. Sicut ergo differentia se habet ad formam qualitative ipsum individuum componentem, sic genus proportionabile materiae se habet ad materiam ipsum individuum qualitative componentem. Sed taliter se habet differentia ad formam qualitative componentem quod est per se superius ad illam; et sic (quod *add. et del.*) differentia singularis est illa forma. Ergo per idem (p.i. *interl.*) illud genus est per se superius ad materiam ipsius. Et sic animalitas sive corporeitas illius hominis singularis foret illa materia - quod est impossibile. Si dicatur quod similitudo non procedit, detur causa etc.

Item, rationalitas in anima vel in intelligentia separata aut erit accidens vel eius differentia. Non potest esse quod accidens, quia in hominibus praedicatur per se primo, et impossibile est quod idem ac-

cidens praedicetur de substantiis, vel de substantia, per se primo et per se secundo; ergo rationalitas talis est differentia animae; et per consequens anima erit per aliud rationale. Ergo homo non immediate ratione animae, sed immediatius ratione differentiae suae esset rationalis. Et sic, iuxta principium illud ‘unumquodque propter quid et illud magis’ sequitur animam rationalem esse magis rationalem **/(f.192r)** quam totum compositum.

Confirmatur: nam si iste homo immediate ratione animae et non ratione alterius esset rationalis, tunc anima in se et non ratione alterius esset rationalis, ut patet in assimili - ut quia iste homo est quantus immediate per quantitatem et non per aliud, ideo ipsa quantitas de se et non per aliud est quanta. Ergo sic erit in proposito, vel detur causa diversitatis. Sed si anima esset per se rationalis, tunc superflueret ponere unum aliud taliter denominans.

Confirmatur: nam impossibile est quod eadem differentia singularis competat aequè primo duobus individuis per se inferioribus ad differentiam in communi; ergo vel oportet ponere quod non utrumque istorum est rationale per se primo vel aliter oportet ponere duas tales differentias singulares. Sed secunda pars non est danda cum **praecē**^{bus}, nisi anima esset immediate de se rationalis. Ergo ita erit - quod falsum est, cum tunc alia superflueret, ut supra dicitur.

Item, pariformiter sicut rationalitas huius hominis esset anima intellectiva, sic sensitivitas, quae est differentia superior, esset anima sensitiva - quod est falsum, cum tunc sicut anima sensitiva in isto homine est anima intellectiva eiusdem, ut praesupponitur, sic sensitivitas foret rationalitas, quod est impossibile. Et consequentiam probo: nam omnis differentia substantialis de qua est sermo est substantia, et per consequens qua ratione una talis differentia singularis est pars huius hominis singularis eadem ratione quaelibet; sed non resta¹ cuiusmodi pars foret sensitivitas huius hominis, si non anima; ergo sequitur quod ipsa est anima huius hominis; et sic anima intellectiva foret corporeitas et incorporeitas, quia foret corporeitas hominis et incorporeitas sui ipsius pari ratione qua foret rationalitas sui ipsius. Ex quo videtur ultra quod sensitivitas hominis differret specificè a sensitivitate bruti, et sic non univoce, ut videtur, esset sensitivus cum bruto.

Idem argumentum contingit fieri de differentia superiori ad sensitivatem, ut reducendo quod corporeitas et substantialitas, quae sunt differentiae superiores, essent ipsa anima, quo concessio arguendum est ulterius quod corporeitas quae est differentia huius hominis esset rationalitas eiusdem, et sic inducendo exclusivas (*lectio dubia*), si cui placeret, reducendum esset quod tantum corporeitas esset differentia huius hominis etc., quia nihil quod non est corporeitas esset differentia huius hominis. Ideo etc.

Item, qua ratione differentia constituens hominem quidditative esset una species per se in praedicamento substantiae eadem rationem differentia illius differentiae esset per se in illo praedicamento, vel detur causa diversitatis quare non.

Item, omnis species substantiae per se in praedicamento quae est per se superior ad hominem est eius genus; sed differentia hominis est huiusmodi; ergo est eius genus. Patet consequentia et assumptum, quia nulla alia de causa est animal genus ad hominem. Vel si sit alia, detur illa.

Confirmatur: nam si differentia hominis est per se superior ad hominem, esset genus, eo quod continet sub se multas species, ut rationalitatem **(f.192v)** hominis et intelligentiae etc.; sed illud est falsum; ergo illud ex quo sequitur.

Quod illud sit falsum suadet sic per considerationem Aristotelis, IV *Topicorum*, ubi sic <dicunt>: ‘si assignatum pro genere praedicetur de specie vel eius proprio vel differentia essentiali, tunc ipsum non est genus’; sed ita est in proposito quod rationalitas, quae assignatur pro genere, praedicatur de specie humana et eius differentia; ergo non est genus. Consequentia patet et assumptum similiter.

Item, IV *Topicorum* [Aristoteles], capitulo 2^o tractatus primi, Aristoteles ponit hanc conclusionem: nulla differentia est species, supple: per se in illo in quo est differentia. Quod probat ratione duplici. Primo quia solum individuum vel species per se illius generis participat genus; * sed differentia non participat genus, * (*...* mg.) eo quod tunc genus substantiae foret pars respectu differentiae, quod est impossibile; ergo etc.

Item, sic: si differentia esset species per se, tunc constitueretur quidditative ex genere et differentia, et sic differentiae esset (sic corr. ex essent) differentia - quod ipsa reputat pro inconvenienti, cum esset processus in infinitum in talibus differentiis.

Item, si rationalitas esset species per se, tunc sicut substantia communis est substantia et homo communis homo, sic rationalitas esset rationalis. Vel detur causa diversitatis.

Forte conceditur in principio quod quaelibet differentia substantialis alicuius substantiae praedicabilis est substantia; nulla tamen est per se in praedicamento substantiae - ut videntur argumenta praefacta probare - sed solum per reductionem. Et sic glossant illud dictum ‘rationalitas non est substantia, sed principium substantiae’, supple: non est substantia praedicabilis, sed principium substantiae talis.

Contra quam rationem sic arguitur: differentia huius hominis est pars eiusdem; et nulla alia pars quam forma singularis eiusdem, cum fiat sermo de differentia singulari; ergo sequitur quod est illa anima - et per consequens oppositum opinionis verum. Assumptum pro maiori sic: per Porphyrium differentia est quae conduit ad esse et quae est pars huius quod constituit; ergo, cum illa sit descriptio differentia substantialis, sequitur quod convenit differentiae singulari; et per consequens ipsa confert ad esse viri. Et sic est causa viri; et non extrinseca, ut patet; ergo intrinseca; ergo pars viri.

Confirmatur per Porphyrium ibidem, capitulo de differentia. Per hoc enim distinguitur a propria passione et ceteris communibus passionibus, quod proprium non est pars substantiae sed differentia est

pars substantiae, ut ponit exemplum de hac passione: esse aptum ad navigandum. Si ergo differentia singularis illius hominis non sit pars eiusdem, sicut nec proprium, tunc, ut videtur, non distingueretur a proprio.

Item, haec differentia singularis est unum intrinsecum huic homini conferens ad esse substantiale eiusdem; ergo est eius pars, vel, si non, detur quid est pars descriptive.

Confirmatur: nam si non est pars huius hominis, tunc sequitur quod est accidens eiusdem; hoc impossibile; ergo etc. Consequentia probatur: nam haec differentia est una forma informans istum hominem non tamquam pars quam impossibile est esse sine illo quod informat; ergo est accidens eiusdem. **/(f.193r)** Patet consequentia iuxta descriptionem accidentis et sententiam Aristotelis in libro *Praedicamentorum*, ubi declarat quid est esse in subiecto secundum quod convenit accidenti.

Item, sicut differentia communis se habet ad speciem, ita differentia singularis se habet ad individuum cuius est differentia; sed ita se habet communis differentia quod ipsa est pars speciei quam constituit; ergo conformiter differentia singularis est pars individui.

Confirmatur: sicut ex animalitate communi cum rationalitate communi componitur species hominis, ita videtur quod quodammodo specialiter ex rationalitate singulari cum animalitate singulari componitur homo singularis. Vel detur causa diversitatis quare non est huiusmodi compositio in individuo. Mirabile enim esset quod differentia communis esset, ut rationalitas communis, pars substantiae, et tamen impossibile est singularem differentiam, ut rationalitatem singularem, esse substantiae partem potissime, cum differentia talis sit substantia - iuxta prius dicta - intrinsece conferens ad esse.

Propter talia argumenta **concedit una opinio quod ex animalitate singulari et rationalitate singulari componitur quidditative illud individuum, sicut species similitudinarie componitur**. Et sic differentia singularis est pars quidditativa et non qualitativa illius individui, cum sit una qualitas essentialis.

Contra quam responsionem arguitur sic: et quaero an animalitas viri vel alterius hominis sit idem quod iste homo vel una substantia distincta. Non est dicendum secundo modo, quia omnis animalitas singularis est animal singulare, sicut omnis humanitas singularis est homo singularis; ergo si animalitas mei foret res distincta essentialiter ab isto homine, tunc forent in isto homine duo animalia singularia, quia animalitas singularis et humanitas singularis. Et cum non (int.) essent coextensa, sequitur unum illorum esse animal multiplicatum; et praeconsequens non esset singulare animal, cum non posset sentire, quia deficerent sibi sensus et organa. Relinquitur ergo quod animalitas illa huiusmodi individui animalis, quodcumque detur, erit ipsum individuum. Sed tunc iuxta hanc opinionem sequitur quod idem est pars sui ipsius et quod idem in eodem ordine est formaliter prius et posterius se ipso. Hoc impossibile. Ergo non est possibile quod haec animalitas singularis sit iste homo; ergo et opinio impossibilis. Et quod hoc sequitur patet: nam ex eo quod (e.g. int.) haec animalitas foret pars quidditativa illius hominis foret

posterior isto homine, et ex hoc quod foret iste homo foret finis illius partis, et sic prior illa (int.) parte in eodem genere prioritatis, vel saltem in generibus prioritatum respectu eiusdem oppositis. Patet ergo quod opinio illa non est fundabilis.

Item, secundum processum Boethii in libro *Divisionum* ac Aristotelis in libro *Topicorum* et Posteriorum, solum species vel genus appropriate sive immediate componitur quidditative, et non maxime transcendens nec individuum, cum omnis talis compositio, iuxta sententiam Porphyrii, constat ex genere et differentia. Quod non est dicibile de individuo, nisi dicatur ipsa componi remote **(f.193v)** quidditative in suis speciebus - quod non est ad propositum huius opinionis.

Salto

Item, si aliqua esset differentia, sequitur quod esset dare respectu cuiuscumque speciei specialissimae substantiae differentiam convertibilem cum specie, hoc est aequalis ambitus cum eadem specie. Hoc impossibile.

Hic est **duplex opinio**. Quidam ponunt convertibilem differentiam cum specie specialissima; **alii** vero illud negant. {«**cfr. Burley**»}

Ideo arguitur **pro prima contra secundam** per auctoritatem. Nam VII *Metaphysicae* videtur Aristoteles innuere in procesu aliquam esse differentiam huiusmodi. Quod patet ex verbi sui Commentatoris ibidem, ubi sic <dicat>: ‘

SALTO

Sed ratione sic arguitur: est dare differentiam convertibilem cum specie subalterna; et non est causa danda quoniam per idem ita est de specie specialissima; ergo etc. Patet consequentia, et assumptum sic: haec differentia, corporeum, convertitur cum corpore de genere substantiae (int.), quod est species subalterna. Nam licet accidens sit corporee quantum, nullum tamen accidens est corporeum secundum quod ly ‘corporeum’ est differentia substantiae, cum sic loquendo corporeitas est pars substantiae. Nec est punctus incorporeus incorporeitate quod est pars substantiae.

Unde facio tale argumentum: haec differentia substantialis, corporeum, non praedicatur de existente in praedicamento, nisi solummodo de corpore; et non praedicatur de aliquo existente extra illud genus; ergo est pure aequalis ambitus cum corpore. Quod fuit probandum. Consequentia de se patet, et maior sic: omnis substantia praedicabilis continetur sub aliqua harum differentiarum, corporeitas et incorporeitas; sed nulla contenta sub una differentia continentur sub alia, propter earum oppositionem; sed quaecumque substantia quae continetur sub hac differentia, corporeitas, **(f.194r)** est corpus, ut patet ex definitione corporis; ergo sequitur quod maior est vera. Et minor probatur: nulla differentia transcendens est pars quidditativa substantiae praedicabilis; sed si illa praedicaretur de aliquo existente extra genus tamquam differentia, tunc esset ipsa analogica; et per consequens non esset pars quidditativa substan-

tiae. Quod est falsum; ideo etc.

Item, sequeretur quod differentia substantialis substantiaemsusciperet maius et minus; hoc impossibile et contra textum Porphyrii, ut post tangetur; ergo illud ex quo sequitur. Assumptum sic: omne analogum et transcendens praedicatur secundum magis et minus de suis per se inferioribus; ergo, cum differentia illa sit analogica, eo quod praedicatur tam de existentibus in genere per se quam de extra genus existentibus, sequitur quod praedicaretur secundum magis et minus.

Item, cum omne analogum sit aequivocum, sequeretur quod differentia talis esset aequivoca. Quod est impossibile, cum ingredientia definitionem proprie oportet esse maxime univoca. Patet ergo per hoc argumentum (per *add. et del.*) quod rationalitas quae est differentia hominis non est communis Deo et creaturis, nec homini et intelligentiis ac animabus, nisi tam intelligentiae quam animae sint per se in praedicamento substantiae.

Iam pro secunda opinione et contra primam arguitur sic: secundum Philosophum, II *Posteriorum*, quaelibet pars definitionis est in (*int.*) plus quam definitum et totum in aequo; sed si differentia foret simpliciter aequalis ambitus cum specie, non esset in plus; ergo sequitur quod tales non sunt ponendae.

Confirmatur: nam secundum Porphyrium differentia est prior specie quo ad consequentiam, et per consequens ipsa est specie superior. Patet ista consequentia, et assumptum per Porphyrium (p.P. mg.) in combinationibus, ponentem differentiam inter proprium et differentiam penes hoc quod differentia praedicatur de pluribus speciebus, proprium autem non.

SALTO

Sed tertio realius sic instatur: et notetur per A differentia ultima speciei humanae, si aliqua sit huiusmodi. Et capiatur haec definitio hominis 'animal rationale et mortale'. Quod sit definitio patet: nam datur per genus et differentiam; et sic per essentialia. Et tunc arguitur sic: omne immediate progrediens ex principiis quidditativis alicuius speciei aut est ipsa species aut proprium illius speciei; sed A immediate progreditur ex principiis quidditativis speciei humanae; ergo est ipsa species vel proprium eiusdem. Patet consequentia cum maiori, et minor sic: progredi ex principiis quidditativis idem est quod positus talibus principiis consequenter et proportionaliter illud poni; sed immediate positus istis principiis, animal rationale et mortale, ponitur consequenter et proportionabiliter A; ergo sequitur quod ipsum est species aut proprium.

Nec valet dicere quod illud argumentum contingit fieri de hac differentia, corporeum, quia nulla est differentia univoca superior ad genus substantiae **(f.194v)** nec ad genus univocum supra ipsum. Bene tamen concludit hoc argumentum quod nullius generis subalterni differentia divisiva est aequalis ambitus cum suo genere - ut patebit in responsione.

SALTO

/(f.195r) Quinto principaliter sic: nullum est proprium; ergo problema falsum. Assumptum sic: proprium non distinguitur ab accidente per accidens; ergo nullum est proprium quarto modo. Fiat enim sermo de tali proprio utrobique. Et tunc patet consequentia, cum antecedens sit impossibile, eo quod tunc - ut communiter deducitur - ad cuiuscumque accidentis praedicabilis corruptionem sequeretur ex necessitate alicuius substantiae corruptio, cum omne accidens per accidens foret proprium quarto modo respectu alicuius substantiae. Assumptum tamen sic arguitur: omne accidens commune est proprium quarto modo respectu alicuius substantiae, ergo inter illa nulla est distinctio. Assumptum sic: quantitas est tale accidens, ergo per idem quodlibet aliud. Assumptum sic: proprium quarto modo est tale quod convenit uni soli et semper; sed quantitas corporea competit substantiae corporeae, et soli illi, et semper, et omni tali; ergo etc. Patet ista descriptio per definitionem proprii. Et assumptum patet: omnis enim substantia corporea est quanta quantitate corporea, et omni quantitas corporea (int.) alicuius substantiae corporeae est quantitas. Nisi quis dicat quod continuum componitur ex non quantis, et sic quod substantia punctualis est corporea, quia componitur (vel: composita) ex materia et forma.

SALTO

/(f.195v) Sed hic forte dicitur, et bene, quod est de natura proprii quod progrediatur ex principiis quidditativis substantiae, et in hoc distinguitur proprium ab accidente communi quod accidentia per accidens progrediuntur ex principiis qualitativis et accidentia propria ex principiis quidditativis. Et cum accidentia praedicta, ut puta figura, quantitas, caliditas, insunt ratione principiorum qualitativorum, ideo argumenta praefacta non procedunt.

Sed contra hanc responsionem arguitur sic: progredi ex principiis quidditativis nihil aliud est quam quod positis illis principiis sequatur tale; sed ita est de accidentibus praedictis; ergo etc. Posito enim quod hoc est animal rationale, ponitur quod est taliter naturaliter figurale; et posito quod haec sit substantia corporea, ponitur ex consequente quod ipsa est quanta.

Confirmatur: nam non oportet quod proprium sit aequaepridem cum suo subiecto; sed requiritur quod sit posterius eo; ergo a posteriori sequitur proprium talia principia sicut alia accidentia. Ergo qua ratione unum tale accidens diceretur proprium eadem ratione alia dicerentur propria. Vel detur causa diversitatis.

Item, ex substantiis nihil immediate progreditur nisi substantia; ergo, cum proprium non sit substantia et principia quidditativa sunt substantiae, sequitur quod non progreditur ex illis immediate.

Confirmatur: nam species ex illis principiis (int.) immediate progreditur; et impossibile est aliqua duo immediate ab eisdem principiis progredi nisi illa sint inter se simpliciter aequaepridem; ergo sequitur quod, si immediate sic progreditur, quod species talis et eius proprium essent simpliciter aequaepridem - quod est impossibile. Si dicatur quod diversimode immediate utrumque progreditur ex illis, detur tunc

qualiter diversimode illa principia principiant speciem et eius passionem.

Item, videtur quod distinctio data superius inter accidens per se et accidens per accidens, sive commune, non sit sufficiens. Quaedam enim sunt substantiae singulares, ut intelligentiae, quae non habent materiam et formam, et sic carent principiis qualitativis; et tamen habent accidentia communia in se.

SALTO

/(f.196v) Item, si aliquod esset proprium quarto modo, sequitur quod omne accidens per se in praedicamento haberet proprium quarto modo; hoc impossibile; ergo etc. Et quod illud sit impossibile videtur ex hoc quod non est danda causa quare omni accidenti in genere correspondet tale proprium, quoniam per idem omni speciei accidentis extra genus. Sed tunc illo dato foret processus in infinitum in propriis, et proprii esset proprium - ut communiter deducitur. Sed iam arguitur quod illud sequitur: proprium est accidens immediate procedens ex principiis speciei; sed omnis species accidentis praedicabilis habet verum genus et veram differentiam essentialem, cum aliter nullum foret accidentis praedicatum; ergo etc.

Item, si aliquod foret tale proprium speciei humanae, sequitur quod illud esset eiusdem speciei specialissimae cum proprio asini. Hoc falsum, cum causa immediata unius sit disparis speciei a casua immediata alterius, ac etiam quia sicut species differunt sic et earum propria differunt. Et assumptum probatur: si proprium hominis differt specificiter a proprio asini, tunc sequitur quod esset dare diversas species propriorum; et per consequens proprii esset proprium - ut videtur. Et sic essent infinitae species propriorum.

Item, si aliquod esset proprium, sequeretur quod omne tale resultaret ex principiis quidditativis substantiae; hoc falsum; ergo etc. Minor sic: capiatur proprium singulare huius hominis, et tunc arguo sic 'hoc proprium non immediate procedit ex principiis speciei, ergo etc.'. Assumptum sic: causae universales non causant immediate singulare; sed illa principia sunt causae universales; ergo non causant immediate tale singulare.

salto

/(f.197r) Item, definitio constat ex genere et differentia, et convenit uni soli et semper; ergo est proprium.

Item, omne universale convenit pluribus; sed proprium convenit uni soli, iuxta Porphyrium; ergo non est universale.

Sexto principaliter arguitur quod nullum est accidens, et per consequens nullum est universale. Assumptum sic: si aliquod esset accidens, sequeretur quod hoc commune, accidens, esset genus; hoc impossibile; ergo etc. Assumptum sic: hoc commune, accidens, est natura simplex positiva de differentibus in specie univoce participata, et non secundum maius et minus; ergo sequitur quod sit genus. As-

sumptum sic: hoc commune, accidens, cum non sit aggregatum, est natura positiva simplex, [et] quod (pro: quae ?) univoce participatur secundum idem nomen et secundum eandem nominis rationem; ergo etc. Et quod secundum idem nomen patet, et quod secundum eandem nominis rationem probatur. Nam ratio accidentis est esse ens alteri (non add. et del.) inhaerens; sed illa competit omni accidenti et aequaliter, ut probabo; ergo totum assumptum verum. Minor sic: inhaerere est esse in aliquo informative et non esse partem; sed aequaliter competit omni accidenti; ergo sequitur quod omne accidens aequaliter inhaeret sicut aliquod. Assumptum sic: omnia accidentia - certum est - insunt aequaliter suis subiectis informative et aequae non sunt partes substantiae; ergo neutrapars illius rationis praedicatur de accidente secundum magis et minus; et per consequens nec illa ratio. Et sic videtur quod omnia accidentia aequaliter inhaerent.

salto

/(f.197v) Item, si aliquod esse accidens sequitur quod ipsum potest intelligi sub ratione qua accidens non intelligendo distincte substantiam; hoc falsum; ergo illud ex quo sequitur. Quod hoc sit falsum probatur dupliciter. Primo sic: sequitur 'tu intelligis accidens sub ratione qua accidens, ergo intelligis rationem essentialem accidentis; sed in ipsa ratione tamquam essentielle potitur inhaerere; ergo tu intelligis distincte ipsum inhaerere, vel eius inhaerentiam - quod idem est. Et non distincte potes intelligere illam inhaerentiam nisi intelligas illud quod inhaeret et illud cui inhaeret. Ergo distincte intelligis illud cui inhaeret; sed illud est substantia; ergo etc.'. Patet ista consequentia ex natura cognitionis respectuum. Inhaerentia enim ex vi termini dicitur duo, et per consequens est respectus.

Salto

Item, sic: definitio accidentis est quod sit ens non per se stans; sed hanc definitionem possum distincte intelligere non cointelligendo substantiam; ergo etc. Assumptum sic: hoc esse ens, quod est prima pars definitionis, possum distincte intelligere non sic cointelligendo aliud, eo quod hoc esse ens est simpliciter absolutum, non includens respectum; et secundam partem etiam possum intelligere distincte non cointelligendo substantiam, eo quod nulla negatio simpliciter, ut sic, includit affirmationem. Sed hoc non per se stare est negatio; ergo potest taliter intelligi non cointelligendo distincte substantiam. Et tunc ultra utraque pars istius definitionis potest taliter intelligi non cointelligendo substantiam; ergo tota definitio - quod fuit probandum.

Salto

/(f. 198r) Item, si aliquod esset accidens, sequitur quod ipsum dependeret essentialiter a substantia; hoc falsum; ergo etc. Minor sic: et capiatur gratia argumenti hoc commune, accidens; tunc: si hoc commune, accidens, secundum se et quodlibet eius suppositum dependet a substantia, tunc dependentia qua accidens dependet a substantia non est accidens, quia dependere est convertibile cum accidente, et

nullum convertibile cum accidente est suppositum huius communis, accidens. Ergo sequitur quod dependentia talis non est accidens.

Confirmatur: nam dependere ponitur in definitione accidentis tamquam sibi essenziale superius aut convertibile; sed nulla eius pars subiectiva taliter oportet poni in definitione accidentis; ergo etc.

Salto

Item, si talis dependentia sit accidens respectivum, causatur immediate ab accidente, cum omnis respectus causetur a suis extremis; ergo, cum omnis causa, ut sic, sit prior suo causato aliquo ordine, sequitur quod omne accidens taliter dependens prius esset accidens quam dependeret - quod videtur impossibile. Nam in ratione formali accidentis includitur dependentia; ideo quam primo est accidens et pro omni mensura qua accidens est accidens, pro eadem mensura sibi inest dependentia; et sic pro eadem dependet.

Confirmatur: nam dependentia videtur esse passio posterior accidente, vel detur quid talis dependentia est. Idem argumentum redit si ponitur quod talis dependentia sit ens rationis, non substantia nec accidens, eo quod foret minoris entitatis in natura quam accidens. Et per consequens accidens, ut sic, esset nobilior et prius. Nam omne accidens alicuius novem generum habet, ut sic quidditatem; sed tale extra genus, quod non est substantia nec accidens, non sic; ergo etc.

Item, denominare est actus accidentis, ergo est posterior accidente; ergo accidens prius est accidens **/(f.198v)** quam denominat.

Sed contra: quam primo est accidens inhaeret, et quam primo inhaeret aliquid se habet ad illud cui inhaeret; et non nisi denominando; ergo etc. Patet ista deductio, et assumptum patet. Nam, si denominare non esset actus singularis accidentis, non negaretur a communibus (a c. iter. et del.) accidentibus, quae - ut creditur - non dominant nisi ratione singularium accidentium, et sic remote.

SALTO

/(f.199r) Item, si aliquid est acciden, sequitur aliquid esse accidens separabile; sed hoc est falsum; ergo etc. Minor sic, et quaero an accidens habet dici separabile in comparatione ad subiectum primum vel in comparatione ad subiectum remotum. Non in comparatione ad subiectum remotum, quia sic omne accidens partis mundi foret separabile. Ergo in comparatione ad subiectum primum. Sed omne accidens respectu sui subiecti primi est inseparabile. Ergo sequitur quod nullum accidens est accidens separabile. Consequens contra Porphyrium et communem scholam.

Confirmatur: nam caliditas est inseparabilis ab igne et aere, et quantitas est etiam inseparabilis a materia; ergo videtur discurrendo quod omne accidens sit inseparabile, saltem respectu alicuius eius subiecti. ergo etc.

Pro responsione ad titulum problematis est primo notandum quod multiplex est universale.

Quoddam enim est **universale causatione**. Et sic quaelibet res est universale.

Quoddam est **universale cognitione**, quod vocatur ‘res iuvans obiective ad cognitionem’, ut accidentia. Et tale universale **dupliciter** consideratur: vel secundum quod praedicatur in concreto. Et sic habet duplicem rationem universalitatis: unam qua praedicatur de multis subiectis, ut sic dicendo ‘multa sunt alba’; aliam qua confert obiective ad cognitionem substantiarum, quae potest vocari ‘universalitas repraesentationis’. Unde ad istud membrum universalia terminorum reducuntur, quia non sunt taliter universalia nisi repraesentative. Sicut enim termini aut voces significant rem, sic accidentia etiam verius significant sua subiecta. Alio modo potest tale universale considerari abstractivum. Et sic solum praedicatur de accidentibus singularibus, ut albedo de albedinibus singularibus.

Aliud est **universale secundum receptionem**, quod successive aut simul recipit formaliter in se plura. Et isto modo situs dicitur universale, et substantia respectu suorum accidentium, vel materia respectu suae formae substantialis; et vocatur communiter ‘genus subiectum’. De quo genere intelligendum est quod corruptibile et incorruptibile differunt plus quam genere; hoc est: forma corruptibilis et forma incorruptibilis eiusdem speciei specialissimae differunt in subiecto et pluri differentia, ut patet de linea in caelo et de linea hic inferius. Ubi notandum quod corruptibilitas non dicit ibi aptitudinem ut res corrumpatur, sed dicit potentiam ad actum corrumpendi; quae potentia inest uni lineae ratione sui subiecti et alteri negatur **(f.199v)** ratione sui subiecti; ideo differunt genere subiecto. Unde communiter dicitur et bene quod nullae formae quarum una est corruptibilis et alia incorruptibilis possunt simul induci in eandem materiam, sed requiritur quod differant subiecto, ut praedicatur.

Aliud est **universale exemplatione**, quod vocatur ideale, de quo aliqui **xxxitant** quae ratio universalitatis est sibi tribuenda.

Ideo, **ante quam de universali praedicatione**, de quo est hic principalis sermo, tractetur, videtur **primo** dicendum penes quid universalitas causationis habet attendi; **secundo** quam rationem universalitatis universale ideale habeat.

Ad primum dicitur quod attenditur penes hoc quod plura nobiliori modo causandi causat.

Et si obicias quod a quolibet infiniti respectus causantur, ergo descriptio nulla, ad illud dicunt quidam quod unus numerus simpliciter infinitus est alio maior in quacumque proportionem volueris, allegantes pro se **Lincolniensem**, tractatu suo *De luce*, ubi sic <dicit>: ‘est autem possibile ut aggregatio numeri infiniti ad congregationem infinitam in omni numerali se habeat proportionem, et sequitur aggregatio omnium numerorum tam parium quam imparium est infinita, et illa est maior aggregatione omnium numerorum parium, quae nihilominus est infinita; excedit namque eam aggregatione omnium numero-

rum parium'. Aliter enim nullus numerus infinitus esset pars numeri infiniti, cum careret ratione partis. Et si quaeratur quare numerus omnium est maior quam numerus omnium differentiarum a me causatarum, cum sint simpliciter infinitae, dicitur quod ea de causa quia continet omnia quae secundus numerus continet et aliquod (vel aliquot) ultra.

Aliter dicunt quidam, ponentes compositionem continui ex non quantis et finitatem (lectio dubia) respectuum, veritatum negativarum et omnium entium positivorum, quod falsum est aliquid infinita causare simpliciter.

In isto dubio nondum habeo plenam fidem, ideo ut sit occasio aliis de eodem studere illud hic movi, sciens quod exigeret primo declarationem an differentia differat ab aliis respectu distincto vel se ipsa, secundo qualiter perfectio modi causandi est cognoscenda. Quae dubia magna indigent perscrutatione. Ideo ipsa pro nunc relinquo tamquam materiae principaliter intentae impertinentia.

Pro secundo dubio est notandum quod **idea** habet rationem universalitatis quae vocatur 'exemplatio'. Sed ut terminus magis concipiatur pono quod hic sit unus artifex habens effigiem alicuius rei fiendae. Tunc patet quod secundum hanc effigiem potest plura consimilia producere; sic enim quidam reservant sibi quasdam similitudines secundum quas exemplariter producunt exemplata consimilia. In quo patet quod illa effigies praeaccepta, cum sit exemplum diversorum, exemplat diversa. Et sic, sicut res plura causans ab actu causandi plura dicitur universale causatione, sic talis imago ab actu exemplandi dicitur universale exemplatione. Et patet quod non repugnat ideas producibilitatis (produci^{tis}) tam universales quam particulares esse taliter universales, cum non oportet quod iuxta unamquamque talem ideam Deus producat plura omnino consimilia, sed sufficit quod illae sint exemplativae plurium, cum Deus in talibus facit illud quod melius est simpliciter. Et sic conceditur quod est dare universalia exemplatione in hominibus et in intelligentiis separatis.

Sed hic **(f.200r)** communiter movent quidam quare universale exemplatione sive similitudo factibilis in mente hominis non aequae dici debeat 'idea' sicut similitudo in mente divina aut in intelligentia separata.

Ad quod dicitur quod idea est universale exemplatione inexistentis suo subiecto intrinseco a natura, sic quod non est posterius tempore suo subiecto. Ideo, cum similitudines existentes in anima causantur ab extrinseco et non naturaliter nobis insunt, et de natura (n^a) exempli rei fiendae, proprie illud sumendo, est quod simpliciter praecedat suum causatum sive exemplatum, patet causa diversitatis. Exemplaria (-ria int.) enim in Deo sunt coaeterna a parte ante cum Deo et intelligentiis, et naturaliter insunt, sic quod non causantur obiective ab extrinseco. Quorum opposita contingit in nobis.

Sed ulterius est notandum quod exemplatio proprie pertinet ad producibilitatem (productibilitatem ms., et sic infra) et non ad intelligibilitatem, ideo idea intelligibilitatis non habet rationem exempla-

tionis nisi aequivoce, sed potius rationem repraesentationis, sicut idea producibilitatis non est universale repraesentationis nisi aequivoce.

Sed **redeundo ad propositum** dicitur ulterius quod **universale sumitur pro communi praedicatione**, quod vocatur ‘universale in existentia’, eo quod natuare suae non repugnat quod de multis individuis simul aut successive praedicetur, loquendo de praedicatione secundum quod dicit formalem inexistenciam per se superius ad per se inferius. Et isto modo ens in communi est universale et cetera analogae.

Sed hic est **notandum** quod quaedam sunt **analogae** quae omni enti conveniunt, ut ens, bonum et unum; et talia, eo quod de omnibus praedicantur, non faciunt sua per se inferiora differre. Quid enim ab alio distinguitur in hoc quod est ens? Sed alia sunt analogae quae non omnibus conveniunt, ut ens per se, secundum quod ly ‘per se’ dicit existentiam in genere, ut accidens respectivum et accidens absolutum, et similia analogae quae faciunt sua inferiora ab aliis differre. Per hoc enim quod qualitas est ens per se distinguitur ab illis quae sunt extra genus, et ex hoc quod ipsa est accidens distinguitur a substantia etc. Illa ergo analogae quae non de omnibus praedicantur secundum rationem differentiae praedicantur de suis contentis, quia ipsa ab (int.) aliis faciunt per eorum inexistenciam differre. Sed simpliciter omnibus (-bus ex ras.) communia non sic praedicantur. Et haec est una causa quare ens in communi non est genus analogum; nihil enim ab alio differt per hoc quod est ens, sed in hoc cum ceteris omnibus convenit.

Et si quaeratur quare hoc commune, accidens, sit natura analogae, cum non sit omnibus commune, dicitur quod si fuerit aliqua natura communis habens supposita quorum aliquod non participat illam nisi virtute alterius sui suppositi, vel ex hoc quod alterum sic facit, tunc illa natura est analogae. Exemplum: substantia et accidens sunt supposita entis, et accidens non participat illa natura in virtute substantiae.

Ex quo patet quod in omni natura analogae est dare duo supposita, quorum unum magis sive prius participat illam naturam quam reliquum. Et hoc est quod dicunt aliqui naturam analogam esse naturam participatam a suis contentis secundum maius et minus, alii secundum prius et posterius, alii per attributionem unius ad alterum -intelligendo ut praedicatur. Quorum omnium eadem est sententia. Cum nulla substantia creata (mg.) sit **/(f.200v)** substantia nisi in virtute primae causae, patet quod Deus est prius substantia et magis substantia quam alia substantia ab ipso producta, et quod substantiae productae sunt substantiae ex attributione primae causae.

Ex quo patet quod hoc commune, accidens absolutum, est analogum quantitati et qualitati. Nam, sicut materia est magis absolutum quam forma, eo quod forma se habet per modum fluxus et materia, cum sit principium a quo natura incipit operari, per modum stabilitatis et fundamenti, sic quantitas, quae

inest ratione materiae, est magis absolutum quam qualitas, quae inest ratione formae. Et ita invenies de quibuscumque analogis.

Sed **contra praedicta** forte sic obicis: si hoc commune, accidens, esset natura analogae, tunc, iuxta declarata, participaretur a suis suppositis per attributionem unius ad alterum; sed quaecumque natura analogae prius praedicatur de nobiliori suo subiecto quam ignobiliori; ergo debet praedicari de ignobiliori suo supposito per comparisonem ad suppositum suumnobilius; sed accidens absolutum est multo nobilius quam accidens respectivum; ergo prius et magis participabit de eadem natura; et per consequens accidens absolutum est magis accidens quam accidens respectivum - quod est manifeste falsum.

Confirmatur: nam generaliter illud quod est nobilius in natura tali magis participat de natura transcendentem; sed accidens absolutum est nobilius quam respectivum; ergo etc. Assumptum patet: nam nulla est causa quare substantia est magis ens quam accidens nisi quia est nobilius ens, et quantitas magis absolutum quam qualitas quia quantitas nobilior est qualitate. Et sic videtur utrobique esse antecedens verum, vel detur causa diversitatis.

Ad istud dicitur concedendo quod accidens est analogum participatum secundum magis et minus. Et negatur minor. Pro quo est notandum quod quaedam sunt analogae quae, ut sic, dicunt perfectionem, ut ens, bonum, accidens absolutum (a.a. mg.), et de talibus est verum quod nobilius in eadem natura prius et magis participat illam naturam quam ignobilius in eadem; sed alia sunt analogae quae, ut sic, dicunt imperfectionem, ut accidens et accidens respectivum, et in istis est contrario modo: illud enim quod est ignobilius magis participat de natura, ut accidens respectivum magis et prius est accidens quam accidens absolutum, et respectus, non relatio, (lectio dubia) est magis accidens respectivum quam relatio. Rationabile (-bi- int.) enim est ex quo talis natura in se dicit imperfectionem, quod illud quod est imperfectius in tali natura magis in eadem participet quam illud quod in eadem est perfectius. Consimiliter est ex opposito in naturis analogis quae, ut sic, dicunt perfectionem, scilicet quod illud quod est nobilius in tali natura magis participat de eadem quam ignobilius.

Et patet responsio ad confirmationem et causa diversitatis in utrisque. Notandum tamen quod sicut in definitione continentur duo quae definitum in se includunt, sic hoc commune, accidens, includit entitatem quae se habet per modum generis et inhaerentiam quae se habet per modum differentiae, et hoc commune, accidens absolutum, participat plus de entitate quae se habet per modum materiae in definitione accidentis quam accidens respectivum; sed e contra est de inhaerentia quae se habet per modum formae **/(f.201r)** vel differentiae. Ex quibus non sequitur hoc commune, accidens, dici secundum magis aut prius de accidente absoluto et secundum minus de accidente respectivo, licet accidens absolutum magis participet nobilius in accidente quod se habet per modum materiae quam accidens respectivum, quia forma reponit rem in ultimo suo esse, et accidens respectivum, ut praedicatur,

plus participat de inhaerentia, quae se habet per modum formae, quam accidens absolutum.

Sed **redeundo ad propositum** dicitur quod **universale praedicatione dupliciter** potest sumi: large pro omni communi praedicatione, et sic hoc commune, ens, est universale; alio modo stricte, quodammodo ad mentem Porphyrii, et sic hoc commune, ens, non est universale, quia non praedicatur secundum rationem differentiae.

Pro quo notandum quod in omni descriptione aut definitione duo sunt consideranda: illud quod definitur et illud pro quo definitur. Ideo quando (int.) quaeritur quid est universale ad mentem Porphyrii, quaerendum est e contra an quaeritur de universali quod descripsit vel pro universali pro quo, seu quibus, descripsit. Nulli enim est dubium quin universalia pro quibus descripsit fuerunt simpliciter univoca, sic quod non transcendentia, sed quinque universalia quae descripsit, ut patet advertenti, sunt simpliciter transcendentia. Sic ergo patet quod tantum quinque sunt universalia praedicatione quae Porphyrius descripsit, sed plura quam quinque sunt pro quibus descripsit. *{Cf. Burley e Paolo Veneto}*

Istis praemissis respondendum est ad primum argumentum; nam quid ad titulum problematicis sit dicendum ex supradictis <patet>.

Quando ergo sic arguitur ‘omne ens (quod add. et del.) Deus distincte cognoscit’ etc., negatur minor. Pro quo notandum quod dupliciter potest intelligi scientiam esse confusam respectu alicuius obiecti. Uno modo iste terminus ‘confuse’ significat idem quod iste terminus ‘secundarie’; et sic non dubium quin confuse Deus cognoscit omnia. Sed alio modo potest intelligi per istum terminum ‘confuse’ idem quod secundarie superaddendo ignorantiam sic cognoscit ad sic cognitum; et sic nihil cognoscit Deus confuse, sed maxime distincte, quia sine ignorantia.

Primum membrum huius distinctionis patet ex hoc quod nulla est ratio quare scientia Sortis qua principaliter (int.) scit speciem dicitur confusa respectu individui, ex hoc quod ad individuum secundarie terminatur, quin per idem sic erit scientia Dei confusa respectu illius ad quod secundarie terminatur et distincta respectu illius ad quod principaliter terminatur. Et secundum membrum patet ex hoc quod confusio proprie loquendo includit ignorantiam ultra talem determinationem (de- int.) secundariam, unde nos considerantes ignorantiam propriam communiter dicimus valde confuse nos scire omnia. Patet **xxxxx** quod vocando omnem cognitionem Dei distinctam qua nihil cognoscitur ignorante, quod plures cognitiones distinctas Deus habet respectu eiusdem individui. Ex quo non sequitur aliquam illarum esse superfluum; nam sicut haec veritas universalis, hominem esse, est prior ista veritate, Sortem esse, sic proportionabiliter cognitiones tales **/(f.201v)** subordinantur, propter quam subordinationem tollitur superfluitas. Sic igitur patet quod Deus multa scit confuse, hoc est: scit multa scientiis terminatis ad illa secun-

darie. Et sic stat bene quod illa scientia qua Deus scit speciem humanam scit me esse distincte, quia sine ignorantia, et tamen eadem scientia scit me esse confuse, quia secundarie.

Nec valet responsio quae dicit quod scientia qua Deus principaliter cognoscit speciem ipse non cognoscit aliquod eius individuum. Propter multa: primo quia illud est verum de hominibus, ergo per locum a simili ibi, vel detur causa diversitatis. Tum secundo quia species est quidditas cuiuscumque sui singularis; ideo si illa scientia cognoscit quidditatem mei oportet quod eadem scientia aliquo modo cognoscat me. Tum tertio quia pro omni priori pro quo cognoscit speciem sub ratione speciei pro eodem priori cognoscit eius (mg.) singularia, et non, ut patet, scientiis appropriatis, quia tunc non prius cognosceret speciem ut sic quam cognosceret omnia eius singularia. Ergo cognitione eadem qua cognoscit speciem cognoscit singularia - quod fuit intentum.

Ad secundum argumentum neatur quod unum individuum est duo individua, nisi ponitur quod homo est anima sua, ut vere est ponendum - ut Dei gratia alibi dicitur.

Unde pro materia argumenti nota quod aliqua est forma substantialis declarans quidditatem rei, ut quodcumque universale est forma cuiuscumque sui individui; alia est forma substantialis perficiens materiam, quae vocatur pars qualitativa compositi. Et illa adhuc subdividitur: nam aliqua est pars qualitativa mediate respectu alicuius et alia immediate respectu eiusdem. Verbi gratia, forma substantialis cadaveris, quae vocatur ‘forma complexionalis animalis’, est pars qualitativa et immediate respectu cadaveris et mediate est huiusmodi pars respectu totius animalis. Dicitur ergo quod si sunt duae formae substantiales quarum quaelibet est pars qualitativa immediate respectu eiusdem individui, tunc unum individuum foret duo individua, et aliter non.

Notandum tamen quod negantes universalia ponere numerum cum singularibus haberent negare quod homo communis et anima singularis sunt duae formae substantiales respectu mei. Sed sive hoc concedatur sive negatur, conclusio non sequitur, nisi forent duae formae ad sensum praepositum.

Pro materia tertii argumenti sunt quaedam supponenda et quaedam declaranda. Suppono primo, iuxta sententiam quarti argumenti, quod non sunt universalia per accidens, ad istum sensum: quod aliquod accidens additum substantiae communi vel singulari faceret novam substantiam ab essentia cui superadditur - quemadmodum rationale adiunctum animali causat substantiam citra animal, quae est species hominis. Ex quo patet quod (int.) ponere quod vir in communi sit substantia citra speciem humanam, quae solum praedicatur de viris, (quod add. et del.) non est philosophicum. Cum tunc aut accidens esset pars substantiae aut vir et mulier differrent in specie specialissima per se - quorum utrumque est impossibile. Patet ergo quod quam necessarium est accidens non esse substantiam tam necessaria est haec suppositio.

Secundo suppono quod generaliter quicumque terminus concretus accidentaliter tripliciter posset supponere ac primarie significare ex comuni grammatica. Scilicet: abstractivum, ut sic dicendo ‘album est

qualitas'; personaliter, ut 'album currit'; concretive vel simpliciter, pro aggregato ex substantia et accidente connotato, quomodo dicit Aristoteles quod 'album' propter suum duplex significare non est per se in praedicamento. Ista suppositio est satis manifesta ex diversitate modi loquendi auctorum; specialiter etiam quia vox est significativa ad placitum.

Tertio suppono quod tripliciter potest dici terminum **(f.202r)** esse discretum: ex demonstratione, ut pronomina demonstrativa; ex impositione, ut propria nomina; et ex limitatione intellectus, ut tales termini 'individuum', 'singulare', 'persona' et signa particularia. Suppono quod sicut nomina propria quandoque capiuntur proprie, quandoque appellative, et per consequens abusive, sic isti termini 'individuum', 'singulare' et ceteri qui sunt singulares ex limitatione intellectus quandoque capiuntur stricte, hoc est quando capiuntur discrete seu limitate, et quandoque appellative sive abusive. Patet ista suppositio ex hoc quod incongrue dicitur 'omnis Johannes aut omnis Willelmus est', sumendo terminos proprie. Ideo reliquitur ex communi modo loquendi quod aliter possunt sumi. Sic enim vulgus quandoque appellat tales terminos et quandoque sumit ipsos proprie. Sic enim Aristoteles restringit istos terminos 'singulare', 'persona', 'individuum' ad limitate supponendum. Quando enim intendit singulariter de certo individuo apponit communiter terminum particularem aut ponit nomen proprium pro individuo quod intendit, ut 'homo praedicatur de Sorte' et 'equus de aliquo equo dicitur'.

Istis suppositis patet quod ista propositio 'singulare est' nec aliqua sibi consimilis habet proprium significatum commune, proprie utendo termino. Sed sicut ista propositio 'hoc est' potest successive ex diversa demonstratione habere diversa primaria significata, sic iste terminus 'singulare' ex diversa intellectus limitatione potest diversa primarie significare. Unde sicut iste terminus 'Johannes', ut est nomen proprium, non significat primarie commune, sic nec iste terminus 'singulare' nec aliquis consimilis in proportionali significatione. Immo, sicut incongrue dicitur 'omne hoc est' demonstrando te, sic incongrue dicitur 'omne singulare est', 'omne individuum est'.

Et si dicatur quod nimis obviat ista sententia communi modo loquendi, ex hoc quod negatur omnis talis propositio de congruitate 'omnis persona est', 'omne individuum est' etc., dicitur quod illae sunt satis congruae abutendo terminis, supple: sumendo ipsos appellative, sed incongruae sunt sumendo ipsos proprie vel discrete.

Sed restat tunc ulterius dicere quid tales termini 'individuum', 'singulare' et similes primarie significant sumendo ipsos appellative. Ad quod ex sententia secundae suppositionis patet responsio. Si enim tales termini accidentales abstractive supponant, tunc significant primarie formas accidentales connotatas. Si vero supponant quodammodo personaliter tunc primarie significant substantias communes, sed non absolute, sed sub conceptibus accidentium. Et si supponant concretive sive simpliciter tunc significant primarie aggregata ex substantiis et accidentibus. Exempla sunt talia: iste terminus 'vir'

in suppositione abstractiva primarie significat virilitatem communem; in suppositione quodammodo personali primarie significat hominem qui est communis; sed in suppositione concretiva primarie significat aggregatum ex substantia quae est species humana et virilitate communi. Quod aggregatum est duo (int.) communia, et non commune nec singulare formaliter. Item, iste terminus ‘singulare’ in suppositione abstractiva primarie significat singularitatem, vel verius communicabilitatem (sic corr. ex incommunicabilitatem) privative, cum singularitas idem est quod non communicabilitas; in suppositione personali significat idem quod iste terminus ‘res’, sed contrahendo; et in suppositione concretiva significat aggregatum ex re communi et singularitate. Et ita conformiter de consimilibus est dicendum.

Nec est inconueniens quod aliqui termini non convertibiles primarie significant idem significatum personale, dum unus contractius significet illud idem quam alter. Sicut enim isti duo termini ‘iste homo’ et ‘iste /f.202v) homo sedens’ primarie significant istum hominem, licet diversimode, sic est de istis terminis ‘homo’, ‘vir’ et ‘mulier’. Pastet ergo quomodo iste terminus ‘Johannes’ aut significat primarie talem appellationem, vel universaliter hominem cui inest talis appellatio, vel aggregatum ex illis. Et patet quid universaliter de significatione primaria terminorum accidentalium sit dicendum.

Sed contra praedicta sic obicitur: videtur quod sicut ista propositio ‘hoc sedens est hoc respondens’, idem demonstrando, est vera, significando quod hoc cui inest sessio est hoc cui inest responsio, sic conformiter est ista propositio vera in uno sensu ‘vir est mulier’, cum significet in uno sensu quod species humana cui inest muliebritas est species humana cui inest virilitas - ut aliqualiter tangitur in principali argumento. Et sic rediret illud quod maxime evitatur, scilicet quod vir in comuni est mulier in communi.

Item, videtur quod responsio non tollit difficultatem. Nam talia accidentia remote insunt substantiis communibus, et tales propositiones ‘singulare currit’, ‘individuum currit’ implicat illa accidentia formaliter inexistere suis subiectis. Immo redit eadem difficultas capiendo tales propositiones ‘homo currit’, ‘homini inest formaliter cursus’. Prima enim istarum ex vi termini - ut patet - significat primarie hominem currere; et non hominem communem, ut patet iuxta opinionem, quia non potest currere; ergo hominem singularem. Quod si dicatur quod significat primarie cursum hominis communis (int.), responsio haec non videtur nisi superflua. Nam tunc restat dicere de primario significato secundae propositionis; nam illa significat primarie homini inesse formaliter cursum, et non homini comuni, quia tunc esset simpliciter falsa, ergo homini singulari.

Ad ista respondetur: et primo ad primum negando quod ista propositio est in aliquo sensu vera ‘vir est mulier’. Non enim sufficit ad verificationem talium propositionum quod accidentia talia remote sive dependenter insint subiectis, sed oportet quod insint formaliter et immediate.

Pro quo generaliter est observandum quod quaecumque sunt duo termini accidentales signifi-

cantes principaliter aggregata ex substantiis communibus et accidentibus, tunc unius termini de altero affirmative non est concedenda praedicatio pro substantiis communibus, nisi illa accidentia insint formaliter communibus substantiis aut substantiae communi. Unde ista praedicatio est vera ‘communicabile est indivisibile’ (in- int.), quia utrumque accidens inest formaliter eidem substantiae communi. Sed sic non est in proposito, cum virilitas non insit homini communi nisi remote, ratione suorum suppositorum. Iuxta enim illud argumentum esset concedendum album esse nigrum, quod ex hoc non est concedendum.

Et si obicitur quod tunc argumentum principaliter factum non procedit probando quod nulla sunt huiusmodi universalialia, dicitur quod haec conclusio non sequitur ‘vir est mulier’ apud aliquos (lectio dubia) licet contingat multos (c.m.ex ras.) propter insufficientem similitudinem decepi. Argumentum tamen bene (interl.) procediti, cum probet quod non est dare substantiam communem inferiorem specie per se, nisi vir et mulier et consimilia generaliter essent **dixxxis** speciei per se.

Ad secundum dicitur quod ista propositio ‘singulare currit’ aut ista ‘homo singularis currit’ significat cursum huius singularis, si terminus sumatur discrete; si tamen sumatur appellative, dictae propositiones significant primarie idem quod istae duae ‘res currit’ et ‘homo currit’, sed multo contractius - ut praedicatur de significatione terminorum accidentalium. Nec est verum quod istae propositiones in tali abusione terminorum accidentalium implicent accidentia talia inesse formaliter et immediate rebus principaliter significatis per subiecta; sed conceditur quod **(f.203r)** taliter implicent, si termini capiantur proprie. Dum tamen capiantur improprie, sufficit quod sic implicent secundarie in aliquo singulari. Quapropter ad veritatem talis ‘aliquis homo currit’ sic universaliter conceptae oportet quod cursus insit formaliter et immediate alicui homini singulari limitato. Et conformiter dicitur de significatis primariis talium ‘aliquis homo cui inest formaliter cursus currit’, ‘homo cui inest denominative cursus currit’, quae in propria eorum significatione implicent tale accidens inesse formaliter et immediate certo singulari, et non significat sic communiter. Sed large (s.l. iter.) loquendo de eorum significatione, tunc significant tale accidens inesse remote tantum substantiae communi sic sub accidentibus conceptae, et secundarie implicent - ut praedicatur - illud formaliter certo singulari inesse. Unde sicut iste terminus ‘homo’ in ista propositione ‘homo currit’ significat principaliter speciem humanam et tamen supponit pro singularibus hominibus, non implicando explicitate illum currere vel istum, sed sufficit ad eius veritatem quod aliquis homo currat, sic conformiter in ista propositione ‘homo singularis currit’ subiectum significat principaliter speciem <humanam>, contracte tamen; et non implicat in tali abusione termini ipsam currere, sed secundarie aliquod eius individuum.

Et si dicatur quod tunc haec propositio [tunc] esset simpliciter falsa ‘homo qui est formaliter singularis currit’, eo quod principaliter significat speciem sic conceptam currere, dicitur quod in tali propositione est quodammodo suppositio mixta. Ex eo enim quod species concipitur est suppositio sim-

plex, sed in hoc quod concipitur sub speciebus accidentium imaginabilium est suppositio personalis. Sic enim dicit Lincolniensis quod vulgus et bruta concipiunt universalialia sub accidentibus. Quod universale sic conceptum videtur ipsum vocare (iter.) ‘universale per accidens’. Sic enim dicit Aristoteles I Physicorum pueros in principio vocare quoscumque viros quos vident ‘patres’. Cuius causa est quia prius concipiunt speciem humanam sub paternitate communi quam sub paternitate singulari. In quibus omnibus est suppositio mixta, quia certum est quod bruta non concipiunt absolute speciem talem nisi sub speciebus accidentium singularium. Patet igitur quod propositio praeassumpta significat primarie speciem sub ratione qua inest suis singularibus. Quapropter, cum ibi sit suppositio quodammodo mixta, ut praedicatur, non oportet quod implicet ipsam currere, sed sufficit ad eius veritatem quod aliquod eius individuum sic se habeat.

Iam restat ulterius dicere quid primarie significant istae duae propositiones ‘homo currit’, ‘homini inest formaliter cursus’. Ad quod patet quod prima primarie significat cursum hominis. Et si quaeratur cuius hominis, dicitur quod hominis communis; non quod cursus denominet ipsum currere, sed quod cursus ab illo dependeat. Secunda tamen propositio, quae videtur difficilior, significat realiter idem. Quod sic probatur: illa de virtute sermonis significat primarie inexistenciam formalem cursus ad hominem; sed nullius accidentis ad eius subiectum primum est dare unionem aut inexistenciam ab ipso accidente distinctam; ergo conclusio. Patet ista consequentia cum maiori, et minor patet, quia idem est dicere ‘habere quantitatem’ **(f.203v)** et ‘esse quantum’, quod est ipsa quantitas. Ac etiam quia tunc esset dare ligamentum medium inter accidens et eius subiectum - quod negat Aristoteles. Patet igitur quod idem est realis inexistencia cursus ad hominem et ipse cursus.

Sed adhuc videtur difficultas ulterior de significato primario huius propositionis ‘homini inest formaliter cursus’. Nam inhaerentia est respectus inter inhaerens et illud cui inhaeret, et inhaerentia non potest capi taliter absolute quod sit ipsum accidens, sicut unio, cum ponatur in definitione accidentis - ut patebit capitulo de accidente. Ad quod <dicitur quod> illa significat primarie inhaerentiam formalem cursus ad hominem communem. Et conceditur quod inhaerentia cursus ad eius subiectum distinguitur realiter ab isto cursu, et non eius unio - cuius causa patebit posterius. Unde inhaerentia talis est respectus. Quapropter non valet responsio illorum qui dicunt quod propositio illa primarie significat inhaerentiam cursus ad hominem, sed nec ad hominem communem nec ad hominem singularem, quia tunc extrema non essent danda, et per consequens esset absolutum. Conceditur igitur quod inhaerentia quam propositio illa primarie significat est inhaerentia formalis cursus ad hominem.

Sed cave. Nam dicta propositio potest habere duos sensus. Unus est quod illa sit inhaerentia qua cursus inest formaliter homini communi; alius est quod illa in se sit formalis inhaerentia qua cursus inest homini communi non formaliter, sed remote sive dependenter. Quod est verum, quia idem est

dependere et inhaerere.

Sed ulterius contra hanc sententiam quidam arguunt ex parte subiectorum accidentium deducendo quod nullus esset situs. Nam communiter dicitur quod dependet ab universali per accidens; sed iuxta hanc viam nullum est universale per accidens; ergo etc. Huic dicunt quidam quod est dare substantias aggregatas quae subiectant talia accidentia immediate (ex ras.), ut substantia aggregata ex omnibus substantiis praesentibus, praeteritis et futuris, quae fuerunt sunt vel erunt immediate situatae in situ mihi adaequato, est subiectum primum situs mei. Sed consimiliter in consimilibus generaliter dicunt esse dicendum dando talia aggregata.

Sed contra istud est quod plures substantiae quam sunt, fuerunt vel erunt situatae possunt sic situari; ergo nullum tale aggregatum est primum subiectum illius situs - quod est contra dicta.

Ideo videtur dicendum quod hoc commune, corpus de genere substantiae, est primum subiectum immediatum dependentiae cuiuscumque situs, dispari tamen ratione, sive sub diversa contractione. Sic enim dicit Aristoteles, I *Posteriorum*, quod idem est subiectum scientiae subalternantis et scientiae subalternatae. Non idem simpliciter dicit hoc non connotando aliud (int.), sed contractum. Ut numerus est subiectum arithmeticae et (int.) musicae (et perspectivae add. et del.), non simpliciter idem numerus, cum per hanc proprietatem, sonorum, contrahitur ut sit subiectum scientiae musicalis. Et idem est de linea, quae est subiectum geometriae et perspectivae; contracta tamen per hanc proprietatem, radiosum, est subiectum primum perspectivae. Sic conformiter hoc commune, corpus, secundum hanc proprietatem, sic situari, est subiectum primum dependentiae situs mei. Et sic de aliis. Sic enim credo quod species humana est primum subiectum dependentiae virilitatis et muliebritatis **/(f.204r)**, diversa tamen ratione. Unde licet in se sit universale per se respectu mei, tamen accidit sibi quod praedicetur de me connotando virilitatem; et sic secundum illam proprietatem est ipsa universale mei per accidens. Et ad istum sensum credo quod modus loquendi de universalibus per accidens fuit introductus, sic videlicet quod illud universale quod in se est vere universale, hoc est absolute ipsum concipiendo, si praedicetur de aliquibus secundum rationem accidentalem, quod ut sic dicatur universale per accidens, quia accidit illi quod praedicetur de suis contentis secundum talem rationem. Et sic idem est subiectum albedinis in communi quo ad dependentiam et nigredinis in communi; <sed> non idem simpliciter, sed contractum. Et sic credo quod intellexerunt dicentes album in communi esse subiectum primum albedinis in communi et quod pars mundi sic situata est primum subiectum dependentiae situs mei. Est enim sententia (lectio dubia) quod corpus sic vel sic contractum est eius subiectum dependentiae. Et patet responsio ad tertium argumentum et quid de universalibus per accidens et singulari (lectio dubia) est dicendum.

Ad quartum argumentum respondetur cum Boethio quod omne universale praedicatione est

realiter suum singulare in praedicatione secundum essentiam, et e contra.

Et si obiciatur quod absurdum est quod iste homo sit species humana, dicitur quod non apud bene intelligentes, cum idem sit ac si diceretur quod hominem esse est istum hominem esse, sive quod essentia hominis, simpliciter intelligendo, est essentia istius hominis, et quod esse substantiale huius hominis est esse substantiale hominis. Nec sequitur ex isto quod quidlibet est quidlibet, cum mutetur suppositio in resolvendo ac in syllogismis communiter contra istud factis. Nec debent exclusivae consimiles cum ista 'tantum ens in communi est ens' exponi conformiter sicut in argumento ipsa exponitur. Sed iste terminus 'formaliter' in secunda exponente debet addi propter conformem sensus limitationem in exponentibus sicut in exposito. Unde secunda exponens debet esse talis 'nihil non formaliter ens in communi est ens'. Et patet solutio ad primum obiectum sophisticum.

Ad secundum in eodem dicitur concedendo quod communicabilitas est communicabilis et communicabilitas est incommunicabilis. Patet conclusio de communicabilitatibus communi et singulari. Nec per idem sequitur quod risibilitas est risibilis. Nam concretum risibilitatis non praedicatur formaliter de eius abstracto, sicut praesupponitur esse in alio. Secunda tamen pars conclusionis eiusdem argumenti negatur.

Pro quo notandum quod sicut non est dare singulare commune (mg.) sic nec est dare singularitatem communem. Est enim oppositum in adiecto dicere singularitatem esse communem. Unde singularitas non est simpliciter positivum, cum includat aggregationem proprietatum singularium, et specialiter negationem, cum sit idem quod incommunicabilitas. Ideo conformiter in parte est tale universale evacuandum sicut singulare commune.

Et si dicatur quod singularitas mei est singularis, ergo est alicuius u-niversalis singularis, dicitur quod singularitas debet dici singulare negative intelligendo terminum, quia incommunicabilis; sed non est singularis respective ad singularitatem communem. Est tamen singularis respectu entis in communi (i.c. int.) et respectu accidentis in communi.

Et si quaeratur numquid talibus singularibus, ex quo sunt accidentia, sit dare speciem extra genus, sicut species puncti vel aliquod tale (et videtur quod sic: nam mirabile esset quod hoc singulare, accidens, continetur sub hoc communi, accidens, quod est genus analogum, et tamen non continetur sub aliqua eius specie), dicitur quod non est inconueniens **(f.204v)** aliquod commune continere sub se individuum, et tamen illud non esse in aliqua specie specialissima per se - ut patet de Deo, qui continetur sub hoc communi, ens, et tamen non est per se in aliqua specie. Unde, cum singularitas includit negationem, patet quod conclusio non est mirabilis. Unde a quibusdam vocatur '**hokkeitas**' (sic) sive 'non divisibilitas'. Veritates etiam negativae non sunt per se in aliqua specie; unde sicut non-homo, ut sic, non est in aliqua specie per se, quia dicitur negatione, sic nec incommunicabilitas, cum includat privationem. Dici-

tur ergo quod non est dare singularitatem communem, quae esset species extra genus praedicabilis de singularitate singulari - ut sic loquor.

Ad tertium in eodem dicitur supponendo primo quod nullum per se inferius praedicatur formaliter identifice de suo per se inferiori, sed in praedicatione secundum essentiam. Quo supposito dicitur quod, cum tam substantia quam accidens sint per se inferiora ad ens in communi, quod illud in se non est substantia nec accidens, nec formaliter aut intrinsece aliquid suum inferius; sed solum essentialiter, ut argumentum probat. Patet igitur quod utraque pars divisionis assumptae in argumento est falsa. Et correspondenter in aliis universalibus est dicendum, ut quod substantia in communi, quae est praedicamentum, nec est formaliter substantia corporea nec formaliter substantia incorporea, secundum quod differentiae opponuntur, cum differentiae non extendant se ultra genus - ut dicitur alias, capitulo de differentia.

Et si quaeratur, ex quo ens in commune de se aut in se sive formaliter non est substantia neque accidens, quid ipsum est in se, dicitur quod de veritate sermonis in se non est quid formaliter. Nam, secundum Philosophum II Posteriorum, ens solum dicit quaestionem si est et non quid est; ideo sufficit quod ens ut sic, sit et non oportet quod sit aliquid, cum esse quid, si non aequivocetur, sit posterius quam esse ens.

Pro materia quinti et sexti argumentorum suppono primo quod sicut creatura singularis prius in natura participat rationem sui generis quam rationem suae speciei, et quod prius participat rationem generis generalissimi quam generis intermedii, et ita ascendendo, sic proportionaliter possit vere creatura (int.) considerari. Patet ista suppositio, eo quod non alia de causa est homo prius substantia quam corpus, vel prius corpus quam animal.

Suppono secundo quod iste terminus 'intelligibile' tripliciter possit sumi. Uno modo abstractively, et tunc significat primarie idem quod iste terminus 'intelligibilitas', qui significat primarie intelligibilitatem communem omnibus intelligibilibus singularibus, quae sunt ideae. Et sic loquendo hoc commune, intelligibilitas, est identifice communis ad singulares intelligibilitates et non aliis rebus, nisi participative sive denominative. Et quod isto modo loquendo praedicatur de intelligibilitatibus identifice patet, eo quod omnis intelligibilitas est aeterna, iste homo est corruptibilis, ideo oportet quod non sint realiter idem **xxxxxxx**. Confirmatur ex hoc quod secundum Philosophum intelligibilitas est passio entis quod non aliter potest verificari nisi capiendo intelligibile pro tali universali communi solum intelligibilitatibus identifice. Sed cavendum est hic, quoniam intelligibilitas, ut patet, est inferior ente; plura sunt entia quae non sunt intelligibilitates, licet omne ens sit intelligibile; et de natura propriae passionis est quod sit convertibilis **(f.205r)** cum suo subiecto; ideo intelligibilitas non est passio entis. Sed potest dici quod est passio entis producibilis, licet non convertibilis. Unde notandum quod hoc universale, intelligibilitas, non potest deperdere aliquid vel aliqua supposita sibi per se inferiora, cum omnis intelligibilitas absolute necessario

est intelligibilitas, ideo licet de impossibili Deus adnihilet omnem creaturam, adhuc essent tot intelligibilitates sicut iam sunt. Unde sicut hoc commune, accidens, praedicatur de qualibet re indentifice aut participative, sic hoc commune, intelligibilitas, de omni ent altero illorum modorum praedicatur. Secundo modo sumitur iste terminus 'intelligibile' concretive simpliciter pro aggregato ex re cui inest intelligibilitas et ipsa intelligibilitate. Et sic primum eius significatum est aggregatum non singulare nec commune. Sed tertio modo sumitur quodammodo in suppositione personali non connotativa pro quacumque re quae intelligitur. Et sic, cum tam intelligibilitas quam creatura sunt res quae possunt intelligi, patet quod isto modo intelligibile est commune omni significabili. Unde sicut iste terminus 'quantum' significat uno modo idem quod iste terminus 'res quanta', et sic est unum commune tam quantitati quam substantiae quantae sive accidenti quanto, sic quodammodo similitudinarie est de isto termino 'intelligibile' in ista ultima significatione, quod ipse sumitur large ut est unum commune omni intelligibili; et sic sumendo est unum commune Deo et creaturis et est subiectum adaequatum metaphysicae et obiectum adaequatum intellectus.

Istis praemissis dicitur quod est dare tale universale, intelligibile, quod realiter est. Sed notandum quod iste terminus 'existens' est inferior ad istum terminum 'ens'; nam omne intelligibile est ens, sed non omne intelligibile est existens.

Pro quo notandum quod solum tale proprie existit quod producitur ut producebatur ab esse intelligibili ad esse creaturae. De natura enim causae efficientis, ut sic, est quod producat rem extra se, ut patet <per> Aristotelem, II *Physicorum*, ubi ponit differentiam inter causam formalem et causam efficientem, distinguendo quattuor genera causarum. Ideo existere idem est quod extra-sistere. Unde (*lectio dubia*) dicitur omne ens productum sistere extra suam <causam> efficientem, quia ex productione sua habet essentiam distinctam ab esse producentis. Omne etiam productum proprie dicitur existere extra intelligibilitatem non quod ipsum non habeat esse intelligibile, sed quod intelligibilitati suae sive entitati suae, quod idem est, realiter superaddatur ratio creaturae. Et hoc est quod theologi dicunt Deum producere rem ad extra, quod est verum quando productum ab illo, ut sic, habet essentiam distinctam realiter ab ipso. Ad intra enim nihil producitur a Deo nisi secundum esse intelligibile tantum; non quod productum ad intra habeat esse intelligibile postquam desinit - hoc enim est summe impossibile cum omnis intelligibilitas sit aeterna -, sed quod tale productum sit posterius origine producibilitate et idem in essentia, qualis productio est inter tria supposita increata propriissime et figuraliter inter memoriam, rationem et voluntatem, quae sunt ipsamet anima essentialiter, distincta tamen ab ipsa formaliter. Patet ergo quod existere proprie sumptum cum sumatur in comparatione ad causam efficientem, est solum commune ad creaturas. Deus enim **(f.205v)** non habet causam efficientem, ideo de virtute verbi Deus non existit, nisi dicatur ipsum a contrario existere quia est extra unitatem creatam. Communiter tamen loquentes non a-

dvertunt vim termini, ed omne tale dicunt existere quod est pro isto instanti. Certum tamen est ex grammatica et ex auctoritate praeassumpta quod terminus sic significat. Ex quibus patet quod existere est multo inferius quam esse (sic corr. ex inesse), cum esse sit communissimum quo claudit contradictionem esse communius.

Redeundo ergo ad propositum dicitur quod, si ly ‘realiter esse’ intelligitur esse existere, quod universale illud non existit nec habet realiter esse. Est tamen existens in praedicatione secundum essentiam, non tamen formaliter, ut patet, eo quod nullum per se inferius praedicatur formaliter identifice de suo superiori. Si tamen per ly ‘realiter esse’ intelligatur idem quod vere habere esse, conceditur quod universale illud habet realiter esse et negatur ultra consequentia. Hoc enim universale est solum illud quod est, est tamen illud quod non existit, quia Deus et intelligibilitas, quae non existunt, et est hoc ens demonstrando Antichristum, et in casu hoc non existit. Hoc tamen est, demonstrando Antichristum. Ista conclusio patet per hoc quod iuxta praedicta esse, ut sic, non dicit rationem creaturae, quia tunc omne ens esset productum sive creatum, ut patet ex vi termini reduplicativi, et existere dicit rationem creaturae. Immo, esse est superius quam esse creatum, ideo creatura prius est quam est creatura. Quando ergo dicitur quod hoc est ens demonstrando Antichristum considero, iuxta sententiam primae suppositionis, essentiam Antichristi sub ratione entitatis simpliciter abstrahendo omnem rationem creaturae. Ideo, cum nullum ens sub ratione entitatis simpliciter sit productum, sed solummodo sub ratione qua refertur ad ens existens, aut quia est corpus, animal vel homo, vel ita de aliis quae expresse dicunt rationem in genere, patet quod sive Antichristus existat sive non quod semper est ita quod hoc ens est, sive quod hoc est ens sicut semper est ita quod hoc est intelligibile.

Ex quo fundamento sequitur ultra specialiter, cum non sint plures essentiae inducibiles et n^a c^eat^a sub ratione tali producitur quod omnis creatura secundum esse intelligibile est essentialiter ipse Deus quod taliter producitur creatio non est productio a non esse simpliciter ad esse, quia ly ‘non esse’ vel ly ‘non’ negat omne esse quod (int.) non potest esse nec, secundum quosdam, intelligi. Ergo creatio erit productio de non existere ad existere sive de esse intelligibili ad esse existere. Sicut ergo hoc commune, intelligibile, non potest produci vel creari, ut patet ex vi termini, sic nec aliquod singulare sub ratione qua intelligibile vel ens (lectio dubia) simpliciter potest produci. Ergo hoc (commune add. et del.) ens quocumque individuo demonstrato erit simpliciter aeternum, intelligendo terminos simpliciter quia personaliter, intelligendo ‘hoc ens’ demonstrando Antichristum producet in casu. Istud non posset esse quod hoc esse ens sit simpliciter aeternum nisi plures forent essentiae simpliciter aeternae aut quod omnia talia aeterna forent simpliciter idem essentialiter. Ergo, cum prima pars non sit danda, ut patet, sequitur quod omnia talia aeterna ~~xxxxx~~ quod omnis creatura secundum tale esse sit simpliciter idem aeternum quod est Deus.

Redeundo igitur ad formam argumenti conceditur quod hoc universale, intelligibile, est realiter omne eius suppositum, sed negatur quod est Antichristus essentialiter, quia Antichristus non est, ut hic supponitur.

Pro quo **sciendum** quod cum iste terminus ‘Antichristus’ **(f.206r)** dicat expresse rationem creaturae contrahit hoc verbum ‘est’ ad supponendum pro esse existere. Unde (lectio dubia) in negatione quae sibi contradicit, haec videlicet ‘Antichristus non est’ idem est quod Antichristus non existit. Ideo Antichristus non est suppositum cuius communis, intelligibile; sed hoc intelligibile, Antichristus intelligibilis est suppositum illius communis. Unde capta hac praedicatione reali ‘Antichristus est intelligibile’ conceditur quod hic praedicatur superius de inferiori. Et si quaeratur quid est illud inferius, dicitur quod Antichristus secundum esse intelligibile sive intelligibilitas sua, quod idem est, vel hoc ens simpliciter intelligendo est illud inferius. Ideo breviter dicitur quod correspondenter sicut hoc commune, intelligibile praedicatur de Antichristo sic ipse Antichristus est. Praedicatur enim solum de Antichristo secundum esse intelligibile. Ideo ad hoc sufficit quod ipse sit secundum illud esse.

Sed hic **dubitatur** numquid intelligibile praedicatur de aliquo quod non est. Et quod sic arguitur: praedicatur de Antichristo; et Antichristus non est; ergo etc. Et quod conclusio sit impossibilis videtur: nam sequitur ‘hoc commune, intelligibile, praedicatur de aliquo quod non est, ergo praedicatur de aliquo quod non est in existentia vel in intellectu; consequens impossibile; ergo etc.’.

Huic **dicitur** conclusionem esse impossibilem, ut argumentum bene probat. Nam cum (lectio dubia) in antecedente non sit terminus impediens, quoniam verbum negatur pro omni esse simpliciter, sequitur quod propositio illa taliter significat qualiter concluditur. Verum tamen est quod praedicatur de illo quod non existit.

Pro argumento tamen in oppositum sciendum quod cum iste terminus ‘Antichristus’ dicat expresse rationem creaturae, idem est dicere ‘hoc commune, intelligibile, praedicatur de Antichristo’ et quod ipsum praedicatur de illo in existentia. Ideo negatur antecedens. Si enim Antichristus non existat, tunc * prima pars antecedentis est falsa, et si Antichristus existit tunc * (*...* mg.) secunda pars est falsa. Unde, sicut hoc commune, intelligibile, non praedicatur de chymaera licet praedicetur de hoc ente, demonstrando chymeram, sic illud commune non praedicatur de Antichristo nisi ipsum existat.

Sed ulterius stat difficultas numquid intelligibile potest praedicari de aliquo de quo non praedicatur. Et posito quod Antichristus non existat videtur illud verum. Nam potest praedicari de Antichristo, et non praedicatur de Antichristo; ergo etc. Confirmatur: nam si de quocumque potest praedicari, praedicatur; et de Antichristo potest praedicari; ergo de Antichristo praedicatur.

Item, videtur quod sequitur ‘omne intelligibile est; chymaera est intelligibile; ergo chymaera est’. Confirmatur: nam aliquo modo Antichristus est, ergo est. Assumptum sic: intelligitur ‘Antichristus est’,

et modus intelligibilitatis est aliquis modus; ergo aliquo modo est.

Item, si Antichristus non est, et erit aliquid, ut supponitur, ergo aliquid erit quod non est. Quod videtur falsum. Nam solum intelligibile erit, et omne intelligibile est, ergo omne quod erit est.

Item, in ista propositione ‘aliquid erit quod non est’ secundum verbum non contrahitur per aliquem terminum, et negatur; ergo negatur simpliciter pro omni esse, et per consequens habebit talem sensum ‘aliquid erit quod non est in existentia vel in intellectu’ - quod est impossibile.

Pro istis est notandum, ut sententialiter praedicitur quod quando hoc verbum ‘est’ negatur in aliqua propositione, si non fiat contractio, negatur pro omni esse simpliciter. Sic dicendo ‘hoc non est’ Antichristum demonstrando, significat propositio quod non est in existentia vel in intellectu, saltem si non connotativa fiat demonstratio. Istud patet ex hoc quod sicut sic dictio (lectio dubia) ‘nullum animal est’, sit ibi distributio pro omni supposito animalis, sic cum hoc verbum ‘est’ significat primarie esse quod iuxta declarata **(f.206v)** convertitur cum ente intelligibili, si ipsum negatur sine restrictione negabitur simpliciter pro omni esse tam in existendo quam in intellectu. Et deductio patet per locum a sufficienti similitudine. Ex quo patet quod sicut falsum est quod aliquid potest esse quod non est in intellectu, sic falsum est quod aliquid potest esse quod non est. Nec valet argumentum ‘Antichristus non est, et Antichristus potest esse, ergo aliquid potest esse quod non est’. Consequens enim est impossibile et minor est vera, et maior convertitur cum ista ‘Antichristus non existit’. Unde argumentum bene concludit quod aliquid potest existere quod non existit. Nec sequitur ‘omne quod potest esse est, Antichristus potest esse, ergo Antichristus est’, ut patet reducendo maiorem ad talem ‘omne quod potest esse in existentia vel in intellectu est in existentia vel in intellectu’, reducendo etiam consequens ad talem ‘Antichristus existit’.

Quibus praemissis dicitur ad difficultatem concedendo quod illud commune, intelligibile, de omni re de qua potest praedicari praedicatur. Nec valet argumentum contra hoc ibi factum de Antichristo. Bene tamen sequitur ex praemissis quod de aliquo illud commune, intelligibile, potest praedicari in existentia de quo non sic praedicatur - quod conceditur. Nec procedit confirmatio, ut patet in suo convertibili. Nam non sequitur ‘de quocumque hoc commune potest praedicari de illo praedicatur in existentia vel in intellectu’. Ibi enim non est terminus contrahens. Ideo oportet quod maior taliter significet ‘sed de Antichristo hoc potest praedicari in existentia, ergo de illo praedicatur in existentia’. Iste enim terminus ‘Antichristus’ contrahit verbum ad praedicationem in existentia.

Ad secundum dicitur ipsum negando; antecedens enim convertitur cum ista propositione ‘Antichristus existit’.

Pro confirmatione tamen notandum quod, sicut falsum est quod aliquo modo Antichristus existit posito quod non existat, sic falsum est quod aliquo modo Antichristus est. Et si fiat tale argumentum ‘i-

sto modo quo Antichristus intelligitur Antichristus est; et iste modus quo antichristus intelligitur est aliquis modus; ergo aliquo modo Antichristus est', dicitur negando maiorem. Ille enim modus quo Antichristus intelligitur non est aliquis modus quo Antichristus est; sicut nec est aliquis modus quo Antichristus existit. Est tamen modus quo Antichristus est <in> intellectu. Ex quo patet quod non sequitur 'intelligibiliter Antichristus est, ergo aliquo modo Antichristus est'; oportet enim addere quod ille modus sit modus quo Antichristus est - quod falsum est. Sed sicut ille modus est modus quo Antichristus est in intellectu, sic aliquo modo Antichristus est in intellectu - et hoc concludit confirmatio.

Sciendum tamen quod haec propositio 'intelligibiliter Antichristus est' potest significare quod Antichristus est intelligibiliter - et sic est vera, cum adverbium determinet verbum -, et quod modo intelligibilitatis Antichristus est sive existit, quod idem est. Et tunc esset falsa convertibiliter cum ista 'modus quo intelligitur est causa quare Antichristus est sive existit, quod idem est'.

Ad tertium argumentum dicitur negando consequentiam. Idem enim est ac si concluderetur quod aliquid erit quod non est in intellectu. Secundum enim verbum, cum non restringitur, distribuitur simpliciter pro esse. Conceditur tamen quod aliquid erit quod non existit. Et patet ulterius quod concedentes quod Antichristus est posito quod non existat male intelligunt ampliationem verbi. Licet enim omne intelligibile absolute (mg.) necessario est, sicut omnib. intelligibile necessario est intelligibile, non tamen sequitur ex illo quod omnis creatura absolute necessario est - quod haberent concedere (**f.207r**) ponentes quod quaelibet creatura est, eo quod ipsa intelligitur. Habent enim concedere quod Antichristus absolute necessario est, quod sic probatur: si Antichristus intelligitur, Antichristus est. Ista consequentia est bona iuxta opinionem praedictam; sed antecedens est simpliciter necessarium; ergo et consequens est simpliciter necessarium - quod fuit provandum. Et patet etiam quod non sequitur ex hac opinione quod chymaera est.

Sed adhuc contra declarata sic obicitur: dictum est prius quod hoc esse ens quacumque creatura demonstrata est simpliciter aeternum. Contra: hoc esse ens demonstrando te, sive hoc ens, quod idem est, incipit esse; ergo illud non est simpliciter aeternum. Confirmatur: nam hoc commune, intelligibile, non est iste homo ex hoc quod non potest produci, et illud quod in se non est producibile non formaliter praedicatur de re producta; ergo sequitur quod illud commune non praedicatur formaliter de te, et per consequens non est iste homo.

Item, si illud commune esset iste homo, et omne superius praedicatur formaliter de suo inferiori, sequitur quod iste homo est formaliter improductum, quia formaliter est illud ens. Confirmatur: et capiantur eae duae propositiones 'hoc ens incepit esse' et 'hoc ens est aeternum simpliciter' demonstrando te per utrumque hoc. Utraque istarum propositionum iuxta hanc opinionem est vera; hoc non foret nisi iste homo foret formaliter improductum; ergo etc. Prima enim istarum est vera, aliter nul-

lum ens posset incipere esse nec aliquod generari - quod est impossibile. Detur ergo qualiter ibi diversimode fit demonstratio. Demonstrando enim idem utrobique videtur conclusio impossibilis.

Item, licet chymaera non sit, iuxta declarata, tamen cum omne intelligibile sit Deus, sequitur quod chymaera est Deus in intellectu, et maximum monstrum est Deus in intellectu; et sic hoc est Deus demonstrando te. Immo, quod hoc est optimum bonum + **demonstrando Deus melius** + (*passo corrotto?*), quia illud sic absolute conceptum est Deus.

Dubitatio ergo stat in isto: numquid talia intelligibiliter sunt Deus si non sequitur quod non omne intelligibile est Deus; si sic sequitur conclusiones praedictas esse veras et multo horribiliores auditui, ut quod Deus noster **xxxxx** illa demonstrando meliora se, et per consequens non est optimum cogitabile.

Ad ista respondetur. Et primo ad primum concedendo quod hoc esse ens incepit esse et idem esse ens est aeternum, cum in aequivocis non est contradictio. Potest enim iste terminus 'ens' supponere simpliciter, iuxta sententiam primae suppositionis, et tunc significat propositio antedicta quod hoc ens sub ratione qua ens simpliciter est aeternum - quod est verum. Sed aliter potest ibi esse suppositio personalis, et tunc verum est quod hoc esse ens incepit esse.

Sed, ut diversitas modi loquendi et demonstrationis manifestetur consideretur modus loquendi communis dicentium quod sicut homo prius est animal quam homo, et prius corpus, substantia et ens quam animal, sic quaelibet creatura prius est quam est creatura. In quo patet quod capiendo hanc propositionem 'ista creatura prius est quam est creatura' in sensu composito est oppositum in adiecto, cum sit idem dicere ac si diceretur quod prius est creatura quam est creatura. Ideo oportet quod fiat resolutio ad hoc quod propositio capiat veritatem sic dicendo 'hoc prius est quam est creatura', in quo oportet quod fiat demonstratio non connotando creaturam nec rationem creaturae. Si enim connotetur ratio **/(f.207v)** creaturae, propositio illa esset falsa, ut patet bene advertenti. Ergo in prima resolvente demonstrabitur absolute hoc ens; et cum oportet quod resolventes supponant pro eodem, patet quod ly 'hoc' in secunda resolvente supponit pro eodem sicut in prima. Et sic supponendo verum est quod hoc est creatura.

SALTO / (f.208r)

Pro isto tamen quod hic communiter tangitur, scilicet qualiter quilibet homo est formaliter homo, est primo notandum quod, cum forma dicatur ab informando, quod omnis forma tam substantialis quam accidentaliter realiter dat nomen sive denominat illud quod sibi subicitur. Ut albedo dat subiecto suo hoc nomen 'album', sessio dat hoc nomen 'sedens', et humanitas dat hoc nomen 'homo' et ita de aliis. Idem enim est dicere formam denominare subiectum et ipsam dare nomen tale concretum suo subiecto; et idem est similiter subiectum esse formaliter huiusmodi et ipsum habere talem formam a qua capit tale nomen concretum.

Secundo notandum quod formae communes substantiales et **(f.208v)** specificae immediate denominant sua singularia sua denominatione concreta, ut humanitas communis denominat immediate quemlibet hominem singularem esse hominem, animalitas communis omne animal esse animal, et sic de corpore et substantia, saltem in suppositione simplici. Nullae tamen formae communes accidentales denominant sua singularia denominatione concreta nisi mediate. Prima pars patet, eo quod iste homo per aliquam formam immediate est homo; et non per formam singularem quae est humanitas, quia omnis humanitas singularis est compositum ex materia et forma et nullo modo forma; ergo per aliquam formam communem immediate; ergo et. Et idem est argumentum de aliis formis substantialibus. Et secunda pars ex hoc patet quod omne accidens aut suscipit denominationem suae speciei, ut quantitas, aut non, ut risibilitas. Si non, tunc habetur propositum. Si sic, tunc tale accidens singulare erit forma singularis informans suum subiectum, habens communem denominationem cum suo subiecto; et per consequens ipsa erit per se huiusmodi, ne sit processus in infinitum. Et si ipsa sit per se huiusmodi, tunc non immediate erit ipsa huiusmodi a forma communi - quod fuit intentum. Conceditur igitur quod accidentia communia denominat sua singulari, mediate tamen; sed nullo modo immediate. Quapropter communiter dicitur, et bene, quod accidentia communia non habent subiectum immediatum denominationis, sed subiectum dependentiae; accidentia tamen singularia habent utrumque.

Ex praemissis patet quod sic dicendo ‘iste homo est formaliter homo’ aut ‘homo currit’ iste terminus ‘homo’ ibi supponit mixtim personaliter et simpliciter cum idem sit ac si sic diceretur ‘iste homo est res cui inest humanitas communis dando sibi suum (mg.) nomen concretum’ aut quod res informata humanitate communi immediate currit. Unde quidam istam suppositionem vocant ‘suppositionem confusam tantum personalem’. Ideo sicut verum est quod tu formaliter es homo, et tamen non es formaliter homo qui est communis aut homo qui est singularis, ut elici potest ex praedictis, sic dicunt quod haec propositio ‘homo currit’ primarie significat hominem currere, et nec primarie hominem communem currere nec hominem singularem cum ibi fiat mixtim suppositio pro homine communi et homine singulari. Et ista sententia est eadem cum illa quam posui in argumento de singulari vago. Conceditur igitur quod (int.) tu es formaliter homo, quia per formam communem, et tamen non es formaliter hoc, demonstrando humanitatem communem, nec (est add. et del.) formaliter hoc, demonstrando te ipsum, nisi forte ad istum sensum: quod tu es iste homo qui est informatus humanitate communi. Et conformiter dicendum est de corpore, de substantia et de ente. Unde aliqui philosophi, considerantes denominationes formarum, videntes quod nimis prolixum esset dicere taliter ‘res informata albedine, quantitate vel figura currit’, imposuerunt terminos concretos ad significandum talem inhaerentiam formalem formae ad eius subiectum, ut ‘album’, ‘nigrum’, ‘quantum’ et (aut ms.) sic de aliis. Ex quo patet quod si album, nigrum aut species humana currat aut fatigatur, tunc illud quod aliqua forma est immediate sic <in>formatum cur-

rit aut fatigatur.

Ex quo **mihi videtur quod** impossibile est speciem humanam currere, cum implicet tale singulari esse informatum specificiter. Conformiter est falsum quod essentia humana est essentia asinina, quia tunc humanitas esset asineitas. Unde sicut falsum est quod iste homo est, demonstrando **(f.209r)** animal commune, sic videtur mihi falsum quod haec essentia humana est. Sophistae tamen concedunt conclusionem ad istum sensum, quod essentia quae est hominis est essentia quae est asini - licet male. Nomina tamen abstracta fuerunt inventa ad significandum formas absolute in earum essentia; hoc est: non sub ratione qua informant subiecta sua. Cuius contrarium faciunt termini concreti. Et hoc totum fiebat ad excludendum confusionem loquentium. Si enim concretum generaliter posset significare talem formam taliter absolute sicut abstractum, et abstractum formam sub ratione qua informat subiectum, tunc resultaret anxietas in exprimendo conceptum propter multitudinem. Ideo videtur mihi propter diversitatem modorum significandi talium terminorum quod in terminis proprie omnis praedicatio formalis est concreti de concreto vel aequivalenter. Ita quod sic dicendo 'ista humanitas est humanitas aut animalitas' non sit ibi praedicatio formalis, sed sic dicendo 'iste homo est homo, animal aut corpus' sit ibi praedicatio formalis. Et dico 'formalis proprie', quia de virtute termini quaelibet forma posset vocari 'formalis', sed illud est improprie. Et dico 'aequivalenter', quia scio bene quod omne superius praedicatur de suo inferiori formaliter, aliqua tamen in concreto, ut animalitas, quantitas, et aliqua in abstracto, ut sic dicendo 'ista qualitas est qualitas', 'haec albedo est albedo'. In quo nota <quod> non est ibi praedicatio formalis secundum quod praedicatum supponit simpliciter abstractivae, sed secundum quod significat quodammodo concretivae, scilicet ut significet formam talem ut inest suis singularibus ipsa informando. Et sic licet praedicatum sit terminus abstractus, tamen sumitur aequivalenter ad terminum concretum. Et hoc permittitur apud philosophos in talibus accidentibus sumere abstractum pro concreto; cuius causa talis esse creditur, eo quod concretum derivatum a tali abstracto, iuxta modum loquendi Aristotelis in *Antepredicamentis*, cum sit denominativum, importat duo. scilicet substantiam et ipsam formam, et nullo modo rationem communem sibi et eius subiecto - ut est de concreto quantitatis. Praedicatio ergo sui superioris ad illam formam non poterit exprimi per talem (int.) concretum. Quapropter relinquitur quod exprimi posset suo abstracto. Quando ergo communiter dicitur quod aliqua sunt accidentia quae non suscipiunt denominationem concretam sui generis aut speciei, non est ex illo intelligendum quod illud superius non praedicatur formaliter de suo inferiori, sed intelligendum est quod non praedicatur tali nomine concreto quod esset denominativum conveniens in principio cum suo abstracto et discrepans in fine.

Sed hic restat difficultas quaedam: ex quo ita est quod omnis forma universalis tam substantialis quam accidentaliter praedicatur formaliter de suo inferiori. Videtur tunc quod hoc commune, albedo, informaret aliqua denominatione (denominatione scr., sed per puncta in denominatione corr.) concreta

hanc singularem albedinem. Notetur ergo illa nominatio per A; tunc sic: albedo communis informat hanc (int.) albedinem A nominatione; et nulla forma accidentalis et universalis informat immediate sua singularia; ergo sequitur quod haec albedo singularis per se ipsam sit huiusmodi. Et omnis denominatio per se alicuius accidentis singularis est denominatio substantiae per accidens; ergo aliqua substantia est taliter nominata. Sed quae esset illa ratio nominationis nisi esset album? Videtur ergo quod albedo sit alba.

Ad istud respondetur concedendo quod albedo universalis nominat albedinem singularem tali nominatione, quae gratia argumenti sit A. Et conceditur quod illa singularis albedo est per se huiusmodi. Ex quo non sequitur aliquam substantiam esse per accidens huiusmodi. **/(f.209v)** Nec est verum quod omni per se denominatio accidentis singularis est denominatio substantiae per accidens, immediate saltem. Est enim dare denominationes plures per se talium accidentium quae non immediate sunt per accidens denominationes substantiae, ut patet de denominationibus non tantum specificis sed propriis et differentiarum. Ista enim albedo suscipit denominationem hanc ‘esse dependens’ a sua dependentia; et nulla substantia illam immediate suscipit. Certum enim est quod quaecumque forma, tam universalis quam particularis, ut sic, informat vel est informativa. Albedo enim in communi informat albedinem singularem. Et certum est quod sic dicendo ‘ista albedo est albedo’ non significatur ibi (mg.) informatio aliqua, si termini supponant simpliciter abstractivae, nec sic dicendo ‘illa albedo (int.) est album’ exprimitur ibi praedicatio superioris ad inferius, cum illud concretum non significet rationem communem formae et subiecto, ut supponitur. Oportet igitur quod talis informatio sit alia quam haec, esse album. Ad quam fateor me non habere nomen concretum expresse mihi significans nominationem illam, sicut non habeo * concretum expresse mihi significans * (*...* mg.) nominationem qua risibilitas in communi nominat sive informat risibilitatem singularem. Sed propter hoc suppono cum antiquis eorum abstracta posse supponere quodammodo concrete, licet hoc non generaliter sit licitum. Sicut nec credo umquam generaliter esse licitum sumere abstractum pro concreto convenienti in principio et discrepanti in fine, hoc est: pro sua denominatione; ut quod isti termini ‘quantitas’, ‘risibilitas’, ‘albedo’ etc. sumantur pro istis ‘quantum’, ‘risibile’, ‘album’ etc., licet aliquando in exemplo auctores usi sunt concretis pro abstractis gratia maioris notitiae, quia concretum multo notius est abstracto. Sumere tamen abstractum pro suo denominativo esset simpliciter loquentium confusio, et ad nihil utile. Patet ergo quod abstractum potest sumi concrete, hoc est contrahendo suum significatum ad sua (mg.) singularia, licet non concrete denominative.

Pro quo notandum quod **accidentia communia dupliciter** possunt sumi vel concipi: abstractivae, abstrahendo illa a communibus subiectis - et tali abstractioni oppositum vocatur ‘concretum denominativum’ -; et alio modo abstrahendo ipsa ab eorum individuis, ubi considerantur absolute in essentia sua - et opposito modo ad hanc abstractionem possunt abstracta accidentium supponere concrete et non aliter. Et in ista aequivocatione pandet processus praecedens.

Respondendo igitur ad propositum patet quod sicut omnis praedicatio formalis est in terminis concretis vel aequivalenter, sic praedicatio abstracti de abstracto, ut sic, numquam est praedicatio formalis. Istud patet ex modo significandi terminorum, concreti scilicet et abstracti, et ex natura praedicationis formalis; unde in omni praedicatione vera et formali praedicatum supponit mixtim pro forma et informato. Quapropter videtur quibusdam quod sicut album propter eius duplex significare non est per se in praedicamento, sic nec homo in suppositione concretiva. Cuius causam assignant quia sicut talia concreta 'album', 'nigrum' etc. significant accidentia et substantias, sic iste terminus 'homo' in conformi suppositione significat humanitatem communem et hominem singularem. Et conformiter de quibuscumque terminis substantialibus et concretis (e.c. mg.) est dicendum.

SALTO / (f.210v)

Dicitur quod **dupluciter potest intelligi unum ens ab alio differre**: positive vel privative.

Privative quando perfectio unius alterius perfectionem excedit nec potest ei parificari. Et isto modo substantia infinite differt ab accidente, et homo infinite differt ab asino, quia licet infinita accidentia aggregentur simul, numquam ad perfectionem substantiae attingent, sicut nec infiniti asini, se essent de possibili, ad unius hominis perfectionem pervenirent. Et sic loquendo est verum quod homo aequae differt ab accidente sicut ab asino, nec Deus magis taliter differt a non-rationali quam a rationali. *Sic etiam loquendo conceditur quod summa differentia non excludit identitatem, ut patet de substantia et accidente.* Unde sic loquendo Deus aequae differt a qualibet creatura. Positive dicuntur illa differre quando aliqua denominatio absoluta, vel proprie denominatio (int.), formaliter inest uni quae non inest alteri, utroque existente, aut cuius perfectio latitudinalis alterius perfectionem excedit. Isto modo impossibile est Deum infinite differre a se vel ab alia creatura, quia tunc infinitae denominationes absolutae et impertinentes inessent sibi quae non inessent creaturae, aut inter Deum et creaturam esset infinita latitudo perfectionis. Quorum primum est falsum, ut patet, et secundum etiam, cum latitudo creaturarum est solummodo finita, quae secundum suum perfectissimum gradum ad primam causam exclusive terminatur. Unde, si Deus et creatura taliter infinite differret, tunc - ut credo - non convenirent. Et ad hoc tendunt argumenta extra pro confirmatione adducta communiter de corpore infinito, magno aut intenso, quod non foret opposite denominatum, si ita foret. Et patet responsio ad illud obiectum.

salto / (f.211r)

Pro quo sunt duo notanda. Primo quod nulla eiusdem speciei specialissimae possunt magis convenire essentialiter quam conveniunt, quia non possunt esse alterius speciei quam sunt. Non tamen ex illo sequitur quod non magis convenio cum viro quam cum muliere, quia accidentia talia multum conferunt ad maioritatem perfectionis - ut patebit in capitulo de accidente. Ideo est dare perfectionem aggregatam ex perfectione accidentali et substantiali, et in tali perfectione potest homo intendi et remitti. Et eo-

dem modo de convenientia est dicendum.

Secundo notandum quod **triplex est gradus convenientiae** ad propositum pertinens. Prima est convenientia transcendens, generalis sive specialis. *Secunda individualis, qualis est inter corpus et animam, materiam et formam, secundum ponentes trinitatem creatam in talibus rebus.* Tertia est convenientia suppositalis, qualis convenientia est inter memoriam, rationem et voluntatem, quae disinguuntur formaliter et sunt ipsa anima essentialiter. Secunda maneries convenientiae multo maior est priam, quia ipsam excludit; sed tertia utramque praenominatam excedit, quia quanto aliqua magis accedunt ad unitatem tanto magis conveniunt. Dicitur igitur quod summus gradus convenientiae simpliciter est inter tria supposita increata et coaeterna. Sed summus gradus convenientiae inter creaturas est inter memoriam, rationem et voluntatem, et inter quaecumque similia. ... **salto** ...

Sed contra superius declarata arguitur sic: ...

/(f. 211v) Item, ...

Item, iuxta (hanc add. et del.) bonam logicam, licet iste homo et humanitas communis non sint duo homines formaliter tamen videtur quod sint duae res et duo entia; ita quod universale ponat in numerum cum singularibus cum terminis transcendentibus. Ergo correspondenter erit de omni universali et suo singulari quod ipsa sunt entia et res formaliter intelligendo - vel detur causa diversitatis quare potius tales praedicationes de aliquibus universalibus sunt concedendae et non de quibuscumque. Quo dato sequitur quod ista praedicatio est vera 'ista sunt duo entia et duae essentiae' demonstrando Deum et illud commune. Et sic est dare duas essentias simpliciter coaeternas.

Salto (siamo a f. 211v)

Pro materia tertii argumenti est notandum quod 'essentia' aliquando sumitur convertibiliter cum isto termino 'res'; aliquando cum isto termino 'substantia'; et tertio modo sumitur convertibiliter cum isto termino 'substantia separata'. Primo modo loquendo falsum est quod ista sunt essentiae distinctae vel sunt entia. Nec sunt duae essentiae formaliter cum terminus numeralis limitet ad suppositionem personalem, vel saltem ad inferius. Ut quibusdam (-dam int.) placet, ponentibus quod terminus numeralis additus termino communi semper limitat ad inferius; sed diversimode: quia si addatur termino generalis vel specifico, tunc limitat ad suppositionem personalem, dum tamen additur termino transcendentem sufficit quod limitet ad inferius. Alii quidem dicunt quod generaliter termini numerales limitant ad suppositionem personalem; ideo ipsi dicunt quod ista sunt entia, et tamen non sunt duo vel tria etc., formaliter saltem. Essentialiter enim illud commune et Deus sunt omnia. Sed illud non est ad propositum. Alii quidem /(f.212r) admittunt communia quaecumque ponere in numero cum suis singularibus, et concedunt quod Deus et illud commune sunt duae res et duae essentiae, sicut et duae ideae. Nec est hoc inconueniens, plures essentias esse coaeternas, sicut nec plura entia; ut supposita in divinis aut ideae sunt

coaeterna.

Sed dimissa ista verbosa contentione patet quod nec secundo modo nec tertio intelligendo terminum est verum plures fuisse essentias coaeternas, cum iuxta dicta illud est substantialiter ipsa essentia divina.

Ex praemissis patent duo. Primo quod, cum ens in communi non sit formaliter causa, sed aequivoce ratione suorum suppositorum causat quicquid causat, quod ipsum non sit causa Dei nec (int.) prior Deo. Est tamen causa aliarum rerum et prior Deo quia sibi superius - si cui placet ad tantum ampliare terminum quod omne superius dicatur respectu cuiuscumque sui singularis prius. Sed illud non videtur quibusdam faciendum, nisi illud commune causet formaliter quodcumque sibi suppositum. Patet etiam in eodem quod ipsum non est Deus formaliter, licet causet omne productum. Diversimode enim Deus et illud commune causant sua causata: Deus enim tamquam causa finalis extrinsece et independenter causat omnia producta; sed illud commune intrinsece et dependenter. Unde sicut aequivoce humanitas communis et Deus causant singulares homines, sic conformiter est in proposito. Ex quo patet quod non sequitur: illud ens causat quicquid Deus causat, ergo est formaliter Deus.

Salto (siamo a 212r)

Quantum ad materiam de aggregatis superius tactam suppono talia esse. Non enim est ratio quod sit ponenda quantitas discreta quin per idem qualitas discreta et substantia discreta potissime, cum, iuxta Aristoteles in *Praedicamentis*, ponenda sit oratio una species quantiatas discrete, quae iuxta ipsum est tempus discretum - ut dicunt plures antiqui expositores. Si enim esset mensura in menta vane divisisset illam per longum. **/(f.212v)**

Quo supposito est notandum quod dupliciter potest intelligi quod sit dare substantiam aggregatam. Uno modo materialiter; et idem est quod illae substantiae. Alio modo formaliter, pro substantia resultante; modo quo quantitas resultat ex unitatibus. Ideo videtur mihi - ut tangitu ibidem - quod homo aggregatus materialiter intelligendo nullam rationem unitatis habet, nisi forte causative; nec homo aggregatus formaliter intelligendo habet rationem unitatis, nisi forte transumptive. Possunt talia aggregata dici species et genera, aequivocando tamen cum Porphyrio. Non enim video qualiter non ponentes aliqua universalialia salvarente communitates terminorum. Et **sic** (licet ms.) argumenta de convenientia colorate possunt solvi.

Ad primum argumentum dicitur quod non est dare hominem aggregatum, materialiter sumendo, ex omnibus hominibus praesentibus, praeteritis et futuris, nisi ampliatur verbum. Et tunc concederetur quod impossibile est illud esse in aliquo instanti. Plura enim sunt in tempore quae non sunt (int.) in aliquo instanti, iuxta viam istam. Et capto conformi aggregato ex omnibus hominibus qui sunt, dicitur quod illud est homo - vocatur enim communiter 'genus humanum', et 'genus anglicorum' vel aliquod tale. Et con-

ceditur quod aggregatum ex lapidibus conformiter potest dici correspondenter ‘lapis’. Sed de aggregato formaliter dicto conceditur quod tantam rationem universalitatis (ex ras.; forte pro: unitatis) habet quantitas discreta sicut et illud. Nec est inconueniens quod isti homines, demonstrando homines praeteritos, componunt illud aggregatum et sunt partes illius in magno tempore, et tamen non sunt iam. Unde conformiter, sicut communiter secundum non ampliantes verbum dicitur de medietatibus huius horae et tota hora, sic dicendum est de partibus talis aggregati et illo aggregato.

Ad aliud tactum conceditur quodlibet tale aggregatum esse aliquid. Et hoc aequae vere, ut quantitas discreta. Homo enim aggregatus ex nobis duobus est primum subiectum illius quantitatis discretae. Ideo maxime proportionantur in unitate, cum tantam unitatem habet illud accidens sicut iste homo. Hinc enim patet quod sicut ex nobis duobus et homine aggregato non resultat quovis modo quartus homo, sic nec ex unitate binarii et suis unitatibus resultat distinctus numerus. Cuius causa est quia ille binarius est realiter unitas aggregata ex unitatibus singularibus. Et sic generaliter subiectum primum quantitatis discretae erit correspondenter unum aggregatum resultans (mg.) ex subiectis unitatum illius quantitatis. Et sic quantitas discreta est unum aggregatum. Ex quo non sequitur quod non sit aliquid, sed conceditur quod non est aliquid simplex, ita quod non-aggregatum. Et ultra conceditur quod aliquod tale aggregatum est vere in praedicamento, ut illud cuius quaelibet pars per se est in eodem praedicamento; et aliquod non, cuius aliqua pars non est per se in praedicamento, aut cuius diversae partes sunt per se in diversis praedicamentis. Et conceditur quod aggregatum ex homine et asino non est per se in aliqua specie specialissima, licet sit per se in (iter.) praedicamento substantiae. Et sic infinita aggregata quo ad nos sunt per se in dato praedicamento, et tamen non sunt per se in aliqua specie specialissima. Nec valet dicere quod talis homo aggregatus non est per se in praedicamento, quia tunc homo simplex et homo **(f.213r)** talis different in genere - quod videtur impossibile. Unde, cum quantitas dividitur per has differentias, continuum et discretum, et de natura differentiae est quod ipsa sumpta cum suo genere constituat novam speciem, patet quod quantitas discreta est disparis speciei a quantitate continua; conformiter homo discretus esset disparis speciei ab homine continuo, si continuitas et discretio forent differentiae substantiae sicut sunt quantitatis.

Ad secundum conceditur quod tale aggregatum suscipit plures (mg.) praedicationes quas eius partes suscipiunt, sed non omnes; homo enim singularis est simplex, non aggregatus. Et sic conceditur quod tale aggregatum in communi comedit et bibit etc. Nec est illud inconueniens de aggregato sicut nec de populo.

Ad tertium dicitur quod plures sunt homines aggregati quam simplices. Ex quo non sequitur quod impossibile sit unam mulierem esse omnem hominem pro dato instantim cum iste terminus ‘omnis’ limitet ad suppositionem personalem pro homine simplici, nisi fiat aliunde limitatio. Nec sequitur duos esse

homines in me, licet duo sint homines aggregati in me propter eandem causam. Audivi tamen aliquos concedere quod infiniti sunt homines in quolibet homine. Sicut enim conceditur quantitatem discretam esse aliquam quantitatem, sic videtur illis hominem discretum esse aliquem hominem potissime, cum aequiparentur in unitate. Sed certe videtur mihi illud non esse concedendum, quia per idem posito quod Sortes haberet (*mg.*) centum filios, tunc essent in illo centum patres. Ideo, licet aggregatum sit vere quid sicut quantitas, tamen videtur mihi quod ibi fit suppositio pro hominibus simplicibus; cuius causa potest assignari ex hoc quod discretio est differentia quantitatis, et sic tribuit illi unitatem, et non sic facit substantiae. Sed de opinione, cum stet **inlo**², eligat respondens.

Ad quartum dicitur concedendo illud aggregatum esse genus humanum, sed non species humana, nisi pro eodem sumantur, quomodo communiter dicitur plura esse genera hominum. Nec debet omne tale aggregatum dici 'genus humanum', nisi in quo continentur uterque sexus et ubi omnes partes aliquantulum se habent ad invicem secundum cognationem aut secundum quod descendunt ab uno principio. Et sic conceditur quod maior est convenientia accidentaliter inter nos duos fratres aut anglicos quam inter anglicum et gallicum. ex hoc quod convenimus in genere anglicano et non sic illi. Unde communiter conceditur unum genus humanum altero genere humano esse perfectius; non tamen specificiter. Nec est tale aggregatum per se species. Unde omnis species communicabilis quocumque individuo est infinitum (*infini- tum ms.*) perfectior. Negative intelligendo aggregata tamen se habent ad suas partes in perfectione rationali.

Et sic communiter dubitatur numquid animal aggregatum ex homine et asino sit essentialiter perfectius homine simplici, cum omne totum sit perfectius sua parte essentialiter. Et videtur quod non, quia non individualiter, quia tunc individuum esset perfectius, nec (*int.*) specificiter, quia non est in aliqua specie specialissima. Ad quod dicitur quod sicut est individuum aggregatum sic etiam species aggregata; et sic illud individuum est nobilioris speciei aggregatae, et per consequens est nobilior.

Ad quintum dicitur quod est dare aggregatum ex omnibus instantibus, in quibus partes simplices illius aggregati **(f.213v)** inceperunt esse. Et tunc dicitur quod in illo instanti illud aggregatum incepit esse complete et in quolibet partiali incepit esse partialiter. Et patet responsio.

Ad sextum dicitur quod corpus illius animalis erit correspondenter unum aggregatum ex corporibus singularibus, sicut anima eius erit una anima aggregata, et correspondenter cetera membra erunt aggregata. Nec sequitur quod illud aggregatum ex omnibus singularibus animalibus sit chymaera, cum oportet primo quod sit animal simplex sic compositum.

Ad septimum patet quod non est dare hominem aggregatum ex duobus hominibus singularibus et tertio aggregato, nisi materialiter intelligendo quod (*quae ms.*) essent tres res, quia tunc esset processus in infinitum. Notandum etiam ulterius quod solum ex talibus entibus est huiusmodi

aggregatum quorum quodlibet est unitas principium numeri aut cuius unitas ab alio distinguitur. Ex quo patet quod non est dare tale aggregatum ex Deo et re producta etc.

SALTO / (da 213v a 220r)

Est etiam ulterius notandum quod in omni descriptione duo sunt consideranda: unum quod describitur, et illa pro quibus datur descriptio. Est ergo regula generalis quod descriptio quae datur nunquam formaliter praedicatur de illo quod immediate describitur, nisi fuerit in transcendentibus. Descriptio enim hominis communis non sibi formaliter competit; et ita invenies in aliis quibuscumque, nisi in transcendentibus. Descriptio enim creaturae competit omni creaturae sicut et descriptio substantiae competit omni substantiae, capiendo substantiam analogice.

Per hoc patet responsio. Certum enim est quod hoc commune, genus, ad mentem Porphyrii est universale quod ipse descripsit, sed non universale pro quod ipse descripsit. Et hoc probat argumentum. Et loquor de genere prout est unum commune tantum generibus univocis, quia aliter non esset ad propositum.

Sed ulterius est sciendum quod dupliciter potest intelligi illud commune esse formaliter genus. Uno modo quod (int.) per aliquam formam sit genus, capiendo talem nominationem ab aliqua forma. Et sic est verum illud esse formaliter genus, quia per generalitatem quae est accidens. Et sic conformiter species in communi esset formaliter species. Alio modo potest sic intelligi quod descriptio generis formaliter sibi competat. Et sic - ut probat argumentum - illud commune non est formaliter genus, saltem univocum. Est tamen formaliter genus capiendo 'genus' prout est unum commune tam generi analogo quam generi univoco, vel non analogo.

Et si quaeratur an hoc commune, genus univocum, sit genus univocum, dicitur quod essentialiter est omne genus univocum; non tamen est genus univocum formaliter, quia praedicatur secundum magis et minus. Et sic hoc commune, genus univocum, est genus univocum, licet non sit genus univocum formaliter.

Aliter dicunt quidam quod sicut homo communis in essentia sua est homo, et per se est homo et non per formam distinctam, sic hoc commune, genus univocum, de se est genus univocum (int.) et per se. Ex quo non oportet quod descriptio generis univoci formaliter sibi competat, sicut nec oportet quod descriptio speciei humanae formaliter sibi competat, ex hoc quod ipsa est homo; sed sequitur oppositum, iuxta prius declarata. Immo, invenies quod descriptiones communiter datae non dantur pro omni contento sub descripto, sed solum pro omni singulari sic contento sub descripto. Ut **(f.220v)** descriptio animalis non competit homini in communi - ut patet - et tamen descriptum de illo formaliter praedicatur. Ex quo videtur quod falsum est quod de quocumque praedicatur definitio de eodem praedicatur et definitum, et e contra; sed sensus Aristotelis est: de quocumque singulari praedicatur definitio etc.

Et si quaeratur unde est ita quod definitum praedicatur tam de communi quam de singulari formaliter et definitio non, dicitur quod in omni definitione ponitur differentia, quae est actus specificus, secundum auctores; ideo est de natura illius quod limitet ad suppositionem personalem. Sicut enim hic est suppositio personalis ‘homo potest currere’, sic hic ‘homo potest sentire’. Ideo concedo quod homo in communi est formaliter animal, corpus et substantia, et tamen descriptiones communiter datae non de illo formaliter praedicantur. Sic igitur, licet hoc commune, genus univocum, sit formaliter genus, quia hoc commune, genus, est superius ad illud, tamen non sequitur quod definitio illius formaliter de illo praedicetur, cum - ut argumentum tangit - non praedicatur proprie in quid. Praedicatur tamen secundum rationem differentiae; ideo reducitur ad formalem rationem generis. Et consimilis responsio de aliis quatuor universalibus est danda.

salto / (f.221v)

Pro quo est notandum quod **duplex est idea**. Quaedam est idea intelligibilitatis; et illa est aequae nobilis in accidente sicut in substantia. Sed alia est idea producibilitatis; et talis idea, ut producibile est nobilior, sic ipsa est nobilior. Dicitur ergo quod idea producibilitatis hominis est multo nobilior idea producibilitatis asini; sed omne ideae intelligibilitatis sunt aequae nobiles. Et sic esse intelligibile aequae convenit cum omni creatura, esse tamen existens attribuitur accidenti in compositum ad substantiam, sicut esse substantiam attribuitur materiae et formae materialis per comparisonem ad compositum. Ideo substantia est magis existens quam accidens, et compositum est magis substantia et magis existens quam materia aut forma materialis. Non tamen video quod una substantia sit alia substantia praedicabili magis substantia vel magis ens sive existens, quia nulla substantia praedicabilis capit esse substantiam aut esse existens per comparisonem unius ad alterum. Et sic videtur mihi quod falsum est quod ut res est perfectior proportionabiliter est magis existens. Omnia enim quae sunt eiusdem praedicamenti sunt aequae existentia, licet non omnia talia sint aequae perfecta.

Salto

Pro quo est diligenter notandum quod sicut universalis univoca subordinantur transcendentibus in tantum quod omnia reducuntur ad unum, sic aliqua est perfectio transcendens quae correspondet universali transcendentis et aliqua est perfectio generalis sive univoca, sic quod / (f.222r) cuicumque universali inferiori correspondet dispar perfectio a perfectione sui communioris.

Ex quo plane sequitur quod perfectissimum universalium est species specialissima. Probatur: cuicumque universali correspondet appropriata perfectio; sed omne per se inferius realiter continet omne suum superius tamquam partem, vel ut sic praesuppositum; ergo sequitur (iter. et del.) quod species specialissima continet in se realiter perfectionem cuiuscumque sui superioris; ergo, cum aliqua perfectio substantialis ad illas superadditur, quia propria, sequitur conclusio.

Nec potest idem argumentum fieri de superioribus ex parte convenientiae propter duo: primo, quia *superiora componunt quidditative inferiora*; secundo, quia *inferiora continent formaliter superiora, et non e contra*. Unde, si bene consideres descensum ab ente simpliciter ad species specialissimas, videbis quod propter superadditionem perfectionum ad superiora erit creatura perfectione in genere perfectior quam perfectione transcendentem sub ratione posteriori quam sub ratione aliqua priori. Ut homo est, ut sic, perfectior quam sub ratione animalis, corporis aut substantia - ut probat argumentum sextum in fine. Ex qua conclusione sequitur demonstrative, cum omne quod est totum respectu alius et nullo modo pars eiusdem est perfectior eodem, [patet] quod species specialissima est perfectissima creaturarum. Species enim est totum respectu individuorum et nullo modo pars; ideo etc. Et, cum species specialissima substantiae sit perfectior specie specialissima accidentis, ergo si species specialissima et perfectissima substantiae sit homo - ut quidam dicunt -, patet quod perfectissima creaturarum est species humana.

SALTO / (f.222v)

Pro materia tacta **in tertio principali de quidditate speciei** est notandum quod species in maxima sui communitate est natura positiva praedicabilis de pluribus solum numero differentibus, cui supraponitur aliquod genus. Et illa dividitur, quia aut praedicatur solum de differentibus tantum numero, et tunc est species specialissima, aut non, et tunc est species subalterna. Species specialissima adhuc dividitur, quia aliqua talis est per se in praedicamento, ut homo, et illa vocatur 'species praedicamentalis' sive 'species per se', et aliqua est extra praedicamentum, ut species puncti, risibilitas in communi <etc.>, et illa vocatur 'species extra praedicamentum' sive 'per accidens', ut quibusdam placet. Species vero subalterna dividitur, quia aut praedicatur secundum magis et minus, et tunc est species analogica sive genus analogum cui supraponitur aliquod genus, vel non praedicatur secundum magis et minus, et tunc vocatur 'species univoca subalterna'. Et secundum primam opinionem, quae ponit differentiam substantialem substantiae esse genus quoddam extra praedicamentum, subdividitur iterum in speciem subalternam praedicamentalem et in speciem subalternam extra praedicamentum.

Ex quibus potest colligi quod aliqua est descriptio speciei. Immo conceditur quod punctus est species univoca, quia extra praedicamentum. Et videtur mihi quod intentio Porphyrii fuit describere speciem univocam, sive sit extra praedicamentum sive in praedicamento. Et negatur quod competit praedicta descriptio talibus speciebus per accidens (p.a. int.), vir, album etc., quia nullae tales sunt ponendae - ut praedicatur -, nisi species humana contracta sive concepta sub certis seu diversis accidentibus vocetur 'universale per accidens', et ita conformiter intelligendo de aliis universalibus per se. Et credo quod non alius fuit sensus admittentium huiusmodi universalium, quod fecerunt propter brevitatem modi loquendi. Non enim credo aliquem bonum logicum, et specialiter Philosophum, concipere virum communem esse

substantiam citra speciem humanam, quemadmodum species humana est citra animal, quia tunc accidens esset pars substantiae - quod etsi quandoque sic loquor, taliter (ut prius dicitur) intellige propter brevitatem modi loquendi. Sed tunc obiectio non esset ad propositum.

salto /f. 223r)

Hic tamen est notandum quod **definitio aliquando capitur** large pro oratione indicante quidditatem rei, sive per proprietates accidentales, ut **sic dicto** (pro: sic dicendo ?) ‘anima est actus corporis physici’ etc., sive per proprietates essentielles, ut cum dicitur ‘homo est sensibile **acti**^e et rationale’, ubi ponuntur duae proprietates essentielles loco definitionis. Quae definitio, eo quod utraque pars eius est differentia, aliquando ab Aristotele vocatur ‘differentia’, et hoc convertibilis cum specie, ex hoc quod est definitio speciei. Sed tertio sumitur definitio pro oratione indicante quidditatem rei per genus proximum et differentiam quae vocatur ‘essentialis proprietas’ - ut patet per Aristotelem VI Topicorum suorum.

SALTO

Ad quintum negatur argumentum.

Pro materia tamen est notandum quod istum **/f.224r)** hominem posse ridere uno modo sumitur pro posse logico, quod est veritas aeterna a parte ante; alio modo sumitur pro aptitudine ad ridendum, quae est proprium speciei et accidens absolutum; tertio sumitur pro accidente respectivo denotante (vel: denominante - deno^{te}) istum hominem esse potentem ad actum ridendi. Unde si organa istius hominis in tantum indisponerentur quod non posset exercere (exercere ms.) actum ridendi, tunc ipsum posse ridere, quod est tale accidens respectivum, desineret esse. Sed quarto sumitur pro dispositione organi deputati ad ridendum, modo quo dicitur dispositionem oculi ad videndum esse visionem. Et illa dispositio, sicut et aptitudo naturalis, vocatur ‘risibilitas’; sed aptitudo est accidens per se et dispositio illa est potentia naturalis - ut vide<bi>tur in materia de proprio. Conformiter in parte ad hanc distinctionem hanc speciem posse communicari, uno modo sumitur pro veritate de futuro (lectio dubia); alio modo sumitur pro accidente absoluto, quod est passio talis speciei; tertio modo sumitur pro respectu quo species potest procedere in actum communicandi.

Istis praemissis patet responsio ad argumentum. Si enim hoc esse communicabile sit idem quod respectus talis denominans hoc posse procedere in actum communicandi, tunc verum est quod quante-cumque communicatur tante est communicabilis, cum idem sit ac si diceretur quod quibuscumque vel cuicumque communicatur eisdem vel eidem potest communicari. Sed ex illo non sequitur quod sit magis communicabilis quam genus suum, quia conformiter intelligendo genus est magis communicabile, cum pluribus communicatur. Nec est verum quod infinitis simpliciter species puncti communicatur. Nec, etsi infinitis individuis communicaretur, sequitur formaliter ad eundem sensum quod infinitum plus esset communicabile. Et si hoc esse communicabile sumatur pro passione, tunc neganda est comparatio, cum

una communicabilitas sit accidens absolutum at alia accidens respectivum. Et sic conceditur quod actus communicandi inest speciebus secundum magis et minus. Ex quo non sequitur intentum. Sed de isto vide in materia de proprio. Et patet aliqualis responsio etc.

Ne aequivocatio termini dicenda de (int.) quidditate differentiae substantialis impediat est primo notandum **quot modis pertinenter sumitur differentia.**

Et differentia in sui maxima communitate est ens distinguens unum a reliquo, quae dividitur in materialem et formalem. Differentia formalis est forma denominans unum ens ab alio vel ab aliis formaliter distingui. Differentia materialis est ens inexistens uni enti et alteri non. Et quodcumque tale est fundamentum differentiae formalis.

Sed notandum quod, licet aliqua substantia quae est differentia sit forma, tamen nulla differentia formalis, ad sensum expositum, est substantia; sed quaelibet talis est accidens. Ideo differentia formalis non ulterius dividitur, ut sic, nisi ratione fundamenti vel alicuius proprietatis. Sed, cum aliquod inexistens substantiae sit accidens, aliquod substantia, aliquod pars integralis et aliquod pars quidditativa, notum est quod differentia materialis dividitur in substantialem et accidentalem, quae est idem quod accidens. Et sicut accidens **(f.224v)** dividitur in accidens per se et in accidens per accidens, sic differentia accidentalis materialis dividitur in differentiam quae praedicatur per se secundo, ut propria passio, et in differentiam quae praedicatur per accidens et non per se, ut accidens praedicamentale (praedi^{le}). Cuius ulterius est divisio in accidens separabile et in accidens inseparabile, hoc est: in accidens quod determinat sibi subiectum, ut simitas, et in accidens quod non determinat sibi subiectum, saltam secundum speciem, ut albedo. Sed de divisione accidentis et de quidditate membrorum divisionis vide in fine capitulo de accidente. Sed differentia materialis et substantialis dividitur in partem integram, ut manus, pes etc., et in partem quidditativam, ut illa quae ingreditur veram definitionem. Cuius est ulterior divisio. Si enim sit pars quidditativa habens se per modum materiae, sic est genus; et si (mg.) sit huiusmodi pars habens se per modum formae, tunc est differentia - de qua est principalis sermo.

De qua notandum est quod ipsa potest comparari ad illud quod dividit, et sic describitur quod est natura positiva alicuius praedicatione communis essentialiter divisiva. Et sic transcendentia habent differentias. Ideo talis differentia dividitur in differentiam substantialem univocam et in differentiam substantialem aequivocam. Si enim illud quod differentia talis dividit sit analogum, tunc differentia talis communiter praedicatur secundum maius et minus, et isto modo (mg.) dependere est differentia accidentis. Et si illud quod dividitur sit univocum, ita quod non transcendens, tunc differentia illa vocatur 'differentia substantialis univoca', quae dividitur in differentiam substantialem divisivam generis praedicamentalis et in differentiam substantialem divisivam generis univoci et non praedicamentalis -

secundum opinionem ponentem genera univoca extra praedicamentum -, et non aliter. Sed differentia divisiva generis praedicamentalis, secundum opinionem praedictam, taliter describitur: differentia est natura positiva generis praedicamentalis essentialiter divisiva (d. e. scr., sed corr.).

Secundo modo potest differentia comparari ad illud quod ipsa constituit, quia omnis huiusmodi differentia divisiva est alicuius communis constitutiva. Et tunc taliter describitur quod est natura positiva alicuius praedicatione communis per modum formae constitutiva. De qua conformes fieri possunt divisiones sicut de alia. Si enim illud cum quo constituit sit analogum, tunc est differentia analogica; et si illud cum quo constituit sit univocum, tunc est differentia univoca.

Sed tertio potest comparari ad modum praedicandi quod praedicatur de per se contentis sub illo quod dividit. Et tunc restringendo ipsam ad differentiam generis praedicamentalis, sic notificatur differentia: differentia est natura positiva praedicabilis in quale per se primo, sive in quale substantiale, de contentis sub praedicamento.

Unde illam diversam considerationem differentiae credo Porphyrium habuisse quando tripliciter differentiam substantialem descripsit. Et adhuc, cum sit de natura differentiae talis distinguere inter se omnia contenta sub genere quod dividit, sicut et illud genus dividit contenta sub genere ab illis quae sunt extra genus, potest ipsa comparari ad **(f.225r)** inferiora sub tali ratione. Et sic dicit quod differentia est qua differunt a se singularia, hoc est: qua singularia contenta sub genere suo essentialiter differunt.

Sed ulterius est notandum quod, ex hoc quod communes differentiae sunt nobis notiores quam differentiae particulares et quia intentio Porphyrii est describere res sub ratione qua illis inest universalitas vel particularitas et non res primae intentionis ut sic, quod descriptiones communiter datae competunt tantum differentiis communibus et non differentiis singularibus. Ideo, ut competant tam singularibus quam comunibus, potest addi in duabus primis descriptionibus talis terminus 'secundum se' aut 'secundum sui speciem' aut 'sui natura constitutiva vel divisiva', aut dicere quod isti termini 'constitutivum' et 'divisivum' dicunt aptitudinem. Unde, iuxta hoc, per istum terminum 'praedicabilis' posset tertia descriptio salvari dicendo quod, licet differentia singularis non taliter praedicetur, tamen est sic praedicabilis, quia eius species est sic praedicabilis.

Istis pro notitia termini praemissis dicitur quod differentia substantialis substantiae est substantia et differentia substantialis accidentis est accidens. Et sic conceditur quod rationalitas in communi, quam cum Porphyrio suppono esse differentiam communem intelligentiis et hominibus, est substantia communis; et sic large substantia secunda. Ex quo non sequitur quod praedicatur de substantia praedicamentali in quid, cum iste terminus 'substantia secunda' uno modo significat idem quod 'substantia communis' (substantiam communem ms.), alio modo significat idem quod 'substantia praedicamentalis praedicatione communis'. Et patet responsio considerando qualiter est de natura illius quod praedicatur in quale.

Dicitur igitur, ut argumenta bene probant in parte, quod nullius substantiae compositae ex materia et forma substantiali [eius] forma componens cum materia est eius differentia. Quapropter ad argumenta contra hoc facta restat respondere seriatim.

SALTO / (f.226v)

Praesupposito quod **quadruplex sit proprium**, ut ponit Porphyrius, scilicet illud quod solum alicui speciei accidit, etsi non omni, ut homini esse medicum; et quod accidit omni et non soli, ut esse bipedem accidit homini; et quod soli et omni, sed non semper ut canescere; et quod soli et semper et omni, ut risibile homini.

Pro materia de proprio in quinto principali tacta est primo notandum quod duae sunt maneries principiorum substantiae praedicamentalis, scilicet principia quidditativa, ut genus et differentia, et principia qualitativa, ut materia et forma. Prima maneries principiorum, cum sint de quidditate rei, inseparabiliter et aequaliter, non per accidens, immo per se, consequuntur illa quorum sunt (inter. sed del.) principia - ut satis patet. Sed (int.) secunda maneries variabiliter (varia^{ter}) et in parte separabiliter et non aequaliter, et sic per accidens et non per se, consequuntur illa quorum sunt principia, propter eorum transmutationem, qualis non est in altera manerie principiorum. Stat enim eundem hominem habere certam materiam iam et deinde aliam; et licet anima non possit separari a composito, sicut nec aliqua forma substantialis, tamen transmutatio inest composito secundum formam substantialem. Sed principia quidditativa nec sunt in se transmutabilia nec ratione illorum inest transmutatio illis quorum sunt principia.

Est ergo ulterius notandum quod proportionaliter ad has duas maneries principiorum substantiae sunt duae maneries accidentium, ipsa principia consequentium, sive ex ipsis principiis progredientium, quarum prima maneries consequitur primum modum principiorum. Et vocantur ‘accidentia per se’ in comparatione ad eorum principia (int.); nam sicut principia quidditativa sunt invariabilia et essentialiter et per se consequuntur illa quorum sunt principia, sic accidentia illa sunt invariabilia. Quapropter ‘accidentia per se’ nuncupantur. Ex quo patet quod omne accidens quod progreditur ex genere et differentia, et solum tale, est accidens (int.) per se et quarto modo proprium. Secunda maneries consequitur secundam maneriem principiorum, et vocantur ‘accidentia per accidens’ in comparatione ad eorum principia, quia sicut illa principia sunt variabilia et transmutabilia, et accidentaliter praedicantur de illis quorum sunt principia, sic ipsa accidentia correspondentem se habent. Ideo rationabiliter ‘accidentia per accidens’ nuncupantur; cuiusmodi sunt scientia in homine / (f.227r) et virtus, et breviter omne accidens quod inest ratione materiae vel formae, quae est pars qualitativa.

Ex quibus corollarie sequuntur plura. Primo quod sicut genus et differentia sunt nobiliora et magis entia quam forma materialis aut materia, sic accidentia per se sunt nobiliora quam accidens per accidens - ut patet ratione principiorum. Ideo accidens quod est commune illis est natura transcendens et

non proprie univoca.

Secundo sequitur quod sicut nec genus nec differentia praedicatur de suis contentis secundum magis et minus, sic nec accidentia per se secundum magis et minus, sed aequaliter de suis contentis praedicantur - ut omnes homines sunt aequae risibiles, sicut sunt aequae rationalia et aequae animalia, licet non aequae rideant nec aequae exercent operationes animalitatis (vel animalis) vel rationis. Accidentia tamen per accidens, propter variabilitatem quam habent ratione suorum principiorum, praedicantur secundum maius et minus, licet non omnia.

Tertio sequitur quod licet genus et differentia atque accidentia propria per se de suis contentis praedicentur, tamen multum dispariter ipsa sic praedicantur. Nam genus et differentia, ex hoc quod sunt partes speciei, sic praedicantur primo; sed propria, cum non sint sic partes, praedicantur per se secundo.

Quarto sequitur quod nullum accidens per accidens est substantiae proprium, si non aequivoce- tur in termino. Illud patet ex hoc quod omne proprium progreditur ex principiis quidditativis speciei, si- cut omne accidens per accidens progreditur ex principiis qualitativis.

Quinto sequitur quod progredi ex principiis quidditativis nihil aliud est nisi inesse formaliter il- lis, vel illi, quibus, vel cui, sua principia; et hoc proportionabiliter ut illa principia insunt. Sic quod ly ‘proportionabiliter’ dicat respectum ad condiciones praetactas ipsorum principiorum. Sic quod illa prin- cipia non possunt inesse alicui nisi correspondenter illi insit tale accidens, et quod tale accidens non pos- sit inesse alicui secundum speciem secundum magis et minus. Si ergo vis cognoscere de aliquo accidente an sit proprium hominis an alterius substantiae, vide si repugnat illud accidens inesse secundum magis et minus aut quod ista substantia possit esse quidditative sic principiata cum hoc quod illud accidens non aequae inest omni individuo eiusdem speciei cum ista substantia. Et si sic, tunc assignatum pro proprio non est proprium. Unde caliditas non est proprium ignis aut aeris, quia tunc aequaliter inesset omni igni et omni aeri.

Sexto sequitur quod modus loquendi Porphyrii de proprio, scilicet quod competit uni, omni et non soli, aut quod sit proprium primo modo vel secundo, fuit solummodo inventus respective inter spe- cies subalternas et species specialissimas, sic quod illud quod est quarto modo proprium respectu speciei subalternae est proprium secundo modo respectu speciei specialissimae, quia competit uni, omni sed non soli. Illud patet, quia nullum accidens per accidens potest esse proprium substantiae, nisi forte similitu- dinarie ad condiciones proprii dicatur proprium. Et quantum ad exemplum Porphyrii in quod dicit quod esse geometram vel medicum est proprium homini primo modo, dicitur quod ipse vocat accidens praedi- camentale (*vel*: praedicabile ?) similitudinarie **(f.227v)** ad condiciones proprii ‘proprium’. Vel aliter po- test dici quod mos est auctoris ponere exemplum non ut ita sit, sed ut materiae quam principaliter inten- dit facilius habeatur cognitio. Vult enim dicere quod sicut ars medicinae inest tantum homini, sed non

omni, sic aliquid est vere proprium taliter se habens. Prima responsio videtur melior. Et patet aliqualis responsio ad illud exemplum. *Nullum enim accidens vere proprium praedicamentalis substantiae credendum est esse accidens commune sive praedicabile - ut quondam putavi.* Nam illud est summe impossibile, ut patet ex supradictis.

Istis pro cognitione quid termini praemissis patet quod negandum est quantitatem esse quarto modo proprium, cum nullum accidens vere sit taliter proprium substantiae. Unde descriptio data a Porphyrio est notificatio quaedam a posteriori, quae non est simpliciter convertibilis cum descripto. Sed oportet addere quod progrediatur ex principiis quidditativis. Unde proprium taliter describitur: proprium est accidens immediate consequens principia quidditativa. Vel sic: proprium est accidens progrediens ex principiis quidditativis alicuius. Et quid sit progredi ex principiis quidditativis patet superius. Ex quo patet quod, cum non omnia exstensa sunt aequae magna, [eo quod] magnitudo, sive quantitas, non est accidens per se, sed accidens commune - quod taliter describitur: accidens commune est accidens consequens immediate principia qualitativa substantiae, aut aequivalenter. Quod addo propter intelligentiarum accidentia. Nec est divisibilitas qualitativa proprium respectu substantiae corporeae, quia proprium substantiae inest pure ab intrinseco et absolute, sed divisibilitas inest ab extrinseco et respective. Ideo omne proprium substantiae corporeae est proprium alicuius operationis totius compositi, licet remote - ut patet de risibilitate et virtute attractiva adamantis, quae principant actum ridendi et actum attrahendi. Sed illud non potest verificari de aptitudine ad divisibilitatem. Irrationalis (inr- *ms.*) enim foret operatio illius proprii quae non posset reduci ad actum nisi illud cuius est proprium corrumpetur. Patet etiam ulterius quod, cum figura sit accidens materiale quod consequitur materiam et eius positionem, quod ipsa non est proprium. Ideo non sequitur 'inest secundum appetitum formae, ergo est proprium'; bene tamen sequitur quod sit accidens inseparabile secundum speciem. Nec est caliditas proprium ignis aut aeris, quia inest secundum magis et minus.

Salto

Pro quo notandum quod aliud est progredi et aliud componi. Species enim componitur ex principiis quidditativis, sed non progreditur ex illis; iste enim homo non progreditur ex his, demonstrando corpus et animam, sed componitur ex illis. Sed totum hoc stat in vi termini. Ideo alii dicunt, ampliando terminum, quod species progreditur immediate ex talibus principiis immedatione compositionis, sed proprium immediate progreditur ex illis immedatione formalis consequentiae. Ideo non sequitur **(f.228r)** quod proprium et eius species sunt simpliciter aequaepridem ex hoc quod utrumque immediate ex eisdem principiis progreditur, eo quod non in eodem ordinem sic progrediuntur.

Salto

Pro quo est notandum - ut superius in parte dicitur in materia de specie - quod risibilitas potest

sumi pro posse logico praecedente esse homini, cum idem sit (int.) risibilitas hominis et hominem posse ridere. Certum enim est quod Antichristum posse ridere iam est, et tamen - ut suppono - nullus Antichristus iam est. Et sic est accidens sive veritas de futuro extra genus praedicamentale. Secundo sumitur pro aptitudine tali ad ridendum, quae est accidens absolutum immediate progrediens ex principiis quidditativis (mg.) speciei. Et sic est proprium. Alio modo sumitur pro potentia naturali ad ridendum, quae est dispositio talis organi. Et sic est qualitas. Quarto sumitur pro respectu quodam denominante hominem posse in talem actum procedere. Et sic est accidens respectivum. Unde dato quod dispositio organi corrumperetur, tunc ille respectus desineret esse, quia iste homo tunc non posset in talem actum procedere. Secundo modo et tertio modo (est *add. et del.*) hominem posse ridere est accidens absolutum, sed primo modo aut quarto modo sumendo est respectivum. Et distinguitur primum membrum a quarto ex hoc quod quartum requirit subiectum et primum non; et sic unum erit accidens respectivum et aliud non. Et secundum a tertio ex hoc distinguitur quod tertium dependet a materia et secundum non. Unde conformis distinctio fieri potest de potentia ad ratiocinandum, scilicet quod illa potest sumi pro veritate extra genus, pro potentia quae est qualitas disponens organum, pro accidente respectivo et pro potentia ad ratiocinandum, quae est ipsa differentia substantialis. *Et quod 'rationalitas' potest sumi pro tali qualitate dispositiva organi patet; sic enim sumendo dicitur communiter moriones peiorem potentiam ratiocinandi habere (mg) sapientibus. Et sic etiam dicunt medici quod mania et infirmitates aliae consimiles proveniunt ex apostemate generato in capite, et per consequens ex indispositione organi.*

SALTO / (f.228v)

Pro materia tamen argumenti duo sunt notanda. Primo quod non quaecumque aptitudo accidentalis substantiae praedicamentalis est quarto modo proprium, sed solum talis quae non dependet a materia, quae etiam est principiativa alicuius principalis operationis totius. Ideo credo quod nulla aptitudo ad suscipiendum accidens commune est proprium quarto modo respectu substantiae, licet aptitudo recipiendi accidens commune quod determinat sibi certam speciem similitudinarie respectu illius posset dici proprium. Unde probabiliter potest dici quod aer maiorem aptitudinem habet ad recipiendum caliditatem quam ignis, eo quod caliditas **denominatur (?)** in aere et non in igne. Et sic nulla talis aptitudo progredieretur ex principiis qualitativis.

Secundum tamquam probabile tamen est quod nulla species specialissima habet plura propria quarto modo dicta. Cuius ratio est talis: omne huiusmodi proprium, iuxta praedicta, progreditur ex principiis quidditativis; ergo si duo talia forent, sequitur quod progredierentur ex principiis quidditativis speciei simpliciter aequè pridem aut unum prius et reliquum posterius. Primum non potest dari, eo quod talia propria essent disparis speciei, et per consequens non respectu eorundem essent eadem principia prima eodem modo. Quod est falsum; nam ista eadem principia principiarent aequè pridem utrumque.

Ex quo sequitur <contradictio>, cum nec ratione subiecti nec ratione principiorum distinguerentur specifice. Si dicatur secundo modo, tunc illud quod immediatius progredere-
tur plus progredere-
tur; et sic proprium susciperet maius et minus. Sequitur etiam quod unum proprium speciei humanae aut alterius datae speciei esset causa immediata alterius proprii eiusdem speciei, cum illud quod immediatius progredere-
tur est praesuppositum ad esse alterius, et hoc in ordine quo causatur a suis **(f.229r)** principiis. Et ista deductio satis patet de accidentibus communibus. Quantitas enim est praesupposita ad aequalitatem; ideo pariformiter foret de propriis, si essent plura respectu eiusdem speciei.

Et si dicatur quod idem argumentum contingit fieri quod ex eisdem principiis qualitativis non progredere-
tur diversa accidentia communia, dicitur quod non, propter mutabilitatem vel transmutabilitatem illorum principiorum; *tum etiam quia non est dare principia quidditativa singularia sicut est dare principia qualitativa*. Relinquitur ergo conclusio.

SALTO

Sed hic est notandum quod, cum proprium immediate progrediatur ex principiis quidditativis et rationalitas est differentia hominis, quod esse risibile consistit immediate in ratione. Ex hoc enim quod ratio indicat hoc esse ridiculosum vel trufatorium, homo ridet. Sed lacrimatio non consistit in ratione, cum plura bruta ex doctrina lacrimantur. Ex quo patet quod non sequitur: flebilis pro-
venit ex motu animae, ergo est proprium hominis. Flebilis enim consistit immediate in disciplina vel complacentia sensuali; sed risibilitas neutro modo, sed in ratione.

SALTO

Est tamen hic notandum quod sicut homines singulares mediate componuntur ex principiis speciei, sic eroum propria singularia ex illis mediate resultant. Nec contradicit hoc argumento superius facto, cum argumentum illud sit de speciebus principiorum et non singularibus propriis. Ex quo patet quod omne proprium quarto modo, sive singulare sive commune, provenit ex principiis quidditativis, mediate scilicet aut immediate. Et sic solum proprium universale progreditur ex principiis quidditativis immediate, et propria singularia ex eisdem principiis mediate.

Et si quaeratur numquid singulare proprium immediate ex aliquibus principiis progrediatur, ad illud dici potest quod sicut quilibet homo singularis componitur ex principiis quidditativis, et tamen non est dare principia quidditativa ex quibus immediate componitur homo singularis, cum taliter nihil immediate componitur nisi species, sic proprium universale **(f.229v)** immediate progreditur ex principiis quidditativis et nullum (mg.) singulare proprium sic facit, sed solum mediate.

Salto

Iam ultimo restat respondere ad materiam tactam de accidente. Ubi primo notandum est

quid est accidens. Est enim accidens ens alteri inhaerens informative, non tamquam pars eiusdem nec tamquam contentum suppositive sub parte. Et ponitur 'informative' propter ideas, <quia ideae> creaturae (*pro: creaturarum?*) etiam Deo insunt, non tamen informative nec tamquam partes illius. Unde ens inesse alteri informative idem est quod ipsum denominare aliud sua denominatione concreta - hoc est: quod faciat illud habere tale nomen quale correspondet termino concreto illius; ut humanitas inest mihi informative, quia facit me realiter habere tale nomen 'homo', et ita de aliis. Ex quo patet quod <ideae> creaturae (*pro: creaturarum?*), cum non insunt Deo informative nec sunt eius partes, non sunt vere accidentia, licet propter quamdam similitudinem illarum ad primam causam et subiecti ad eius accidens vocari possunt 'accidentia'. Ultima particula descriptionis ponitur ad differentiam singularis differentiae substantialis.

Sed hic dubitatur *an memoria, ratio et voluntas sunt accidentia*. Et quod sic videtur, quia insunt animae informative, non tamquam partes etc. Et quod non patet, quia sic accidens productum esset essentialiter substantia, cum illa tria sint substantia animae. *Huic dicitur quod non sunt accidentia, quia sunt partes animae, quia partes virtuales* - quod sufficit. Ceterae tamen potentiae, ut visus, auditus, ab Aristotele non vocantur 'partes animae', quia sunt materiales dispositiones organorum; et sic non illae praenominatae.